DE Q. ASCONII PEDIANI ET ALIORUM VETERUM INTERPRETUM IN CICERONIS ORATIONES COMMENTARIIS DISPUTATIO CRITICA,

---

QUAM INTER PUBLICA GAUDIA
OB AUSPICATISSIMAS NUPTIAS
AUGUSTÆ REGIS FILIÆ
GUILIELMÆ MARIÆ
ET
CELSISSIMI PRINCIPIS
FREDERICI CAROLI CHRISTIANI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
CONSEQUENDOS
DIE VIII MENS. NOV. IN AUDITORIO
DOMUS REGIÆ
PUBLICE DEFENDET

IO. NICOLAUS MADVIG, A. M.,
PHILOLOGIAE IN ACAD. HAUN. LECTOR,
RESPONDENTE
ORNATISSIMO *CAROLO H. A. BENDTSEN*
PHILOLOG. STUD.

HAUNIÆ MDCCCXXVIII.
TYPIS HARTV. FRED. POPPII.

PRÆFATIO.

Constitueram huic commentationi emendationes locorum aliquot Ciceronianorum et Asconianorum subiicere, quas temporis brevitate exclusus, quo minus nunc ederem, in appendicem conieci brevi prodituram; ei adiicientur quum indices, quos hic libellus postulare videtur, tum errorum typographicorum adnotatio, qui vereor ne in hac festinatione, quum præsertim in iis corrigendis parum exercitatus sim, non ita pauci sint. Pag. 11 v. 2, *Asconium* irrepsit, quum *Asconius* exprimendum esset. Sero vidi, quod p. 4 dixi, post mortem Claudii Asconium scripsisse, id eadem ratione efficere J. M. Mattium, Brixianum,

in Adnott. c. 89 p. 126 (Ticini 1575); nec plura is de Asconio habet. Cur divum Claudium non appellet, si quis id quærendum putat, apparet ex Suet. Claud. 45. P. 30 v. 2 ab inf. superiores secutus particulam *ut* minime necessariam addidi. Hæc erant, quæ hoc loco notari et debebant et poterant; pluribus præfari non opus esse mihi visum est.

Communis est opinio, nihil esse, in quo tædii plus sit, quam in diligenti commentariorum ad antiquorum Græcorum Latinorumque scripta ab inferioris ætatis grammaticis compositorum tractatione. Ac semper quidem aut plerumque in eiusmodi scriptis versari miserum est et ineptum. Cæterùm quum tam multarum rerum cognitio ad antiquitatis studia pertinentium ex iis ducatur, delicatissimi fastidii videtur esse, qualia sint et quam auctoritatem habere debeant ea quidem huius generis scripta, ex quibus eiusmodi plura hauriantur, quærendum esse negare; neque non est in hac quoque studiorum parte delectatio quædam, quum veterum literarum novissimam formam consideramus. Si quis autem eo tempore, quo nondum literæ consenuerant, in simili scribendi genere versatus esse putatur, eius scripta non mediocri philologorum studio digna esse mihi videntur. Nam et de rebus antiquis hominem non multo inferioris ætatis exponentem audire operæ pretium est, et, quam in toto opere rationem secutus sit, attendere diligenter oportet, ut ex iis, quæ interpretatione egere iudicaverit, quid in more publico privato-

que, literis, lingua eius ætate mutatum fuerit, intelligamus. Hæc autem in Q. Asconii Pediani commentarios ad Ciceronis orationes cadere videntur, quem scriptorem eo minus negligi decebat, quod eum ab æqualibus minime contemtum videmus, quorum scripta in summo honore habemus. Itaque miror eius commentarios proximis seculis ita neglectos esse, ut nemo accuratius studium ad eos contulerit ne ex iis quidem, qui cum Ciceronis orationibus eos edendos curaverunt. Hoc autem eo effectum esse puto, quod homines, quum ad Asconium accederent, statim in ea inciderent, quæ nihil omnino veterum scriptorum simile haberent, grammaticorum quarti et quinti seculi post Christum nihil dissimile. Et tamen hæc ipsa res ad hos commentarios diligentius perscrutandos excitare debebat; si enim id confitemur, hominem Quintiliano antiquiorem et inter eruditos habitum ita scripsisse, ut inter eius interpretandi rationem et Donati aut aliorum Donato inferiorum nihil intersit, sublatum est omne diversarum ætatum in literis Latinis discrimen; multa etiam alia ridicula consequentur. Ut igitur et hæc dubitatio tollatur, et Asconio suus honor restituatur, et qui sit usus in rebus Romanis intelligendis et Cicerone interpretando commentariorum, qui sub eius nomine circumferuntur, appareat, totam hanc de Asconii commentariis quæstionem comprehendendam et explicandam esse arbitratus sum; in cuius disputationis præcipua parte etsi mea sententia a Niebuhrii, viri celeberrimi, iudicio non discrepat, tamen

quod is, quum breviter nullo argumento addito significasset, paucissimis persuasit, ita exponere, ut in ea re error ne relinquatur, operæ pretium fore videtur. Ab hac autem disputatione excludendos non esse commentarios ad Ciceronis orationes aliquot nuper in Italia repertos, ea, quæ de iis dicemus, ostendent. Neque solum id ago, ut, quid sit Asconii, appareat, sed ut simul intelligatur, qualia sint et quo loco habenda ea, quæ eius esse nego.

I.

Q. Asconius Pedianus [1]) quando vixerit, non convenit inter eruditos, quorum alii Virgilii et Livii familiarem fuisse, alii Vespasiano imperante senem vixisse tradunt [2]). Ipse in commentarios ad Cic. orat. pro Scauro [3]) de Scauri domo dicens, *pos-*

---

[1]) Quinti prænomen habent codd. commentariorum (vel potius codex) et, ut mox dicemus, Hieronymus. Cognomen apud Suidam est Παιδιανός; veriorem formam codd. habent commentariorum et Hieronymi et inscriptio apud Grut. p. 987, 15. Nota est gens Pedia. Prima syllaba brevis est apud Sil. Ital. XII, 212.

[2]) Quæ vulgo de Asconio traduntur, exposita sunt apud Fabric. Bibl. Lat. Lib. II. c. 6. T. II. p. 65. Ern. et Baehr. Gesch. d. röm. Lit. p. 395. sq. Funccium et alios prætereo.

[3]) P. 138. Hot. p. 1013. Græv. T. XVI. p. II. p. 246. Sch. Quoties editionem non nomino, Hotomanianam intel-

sidet eam nunc, inquit, *Longus Cæcina, qui consul fuit cum Claudio;* pro *Longus Cæcina* in ed. prima est *locus cicinam*, scribendum autem esse *Largus Cæcina*, Lipsius vidit, et post eum alii [4]); is enim consul fuit cum Claudio II consule a. u. 795. Varr. [5]). Constat igitur, Asconium hæc scripsisse post alterum Claudii consulatum; ut mihi autem videtur, ex hoc loco coniici potest, aliquanto post scripsisse; neque enim Asconius illud admonendi gratia additurus fuisse videtur, si nuper Cæcina consul fuisset; neque ita nude Claudium nominaturus, neque Augusti neque Cæsaris neque imperatoris adpellatione adiecta, si vivo Claudio scripsisset [6]). Nerone igi-

ligo; qui Græviana et Schütziana utuntur, capitum numeros sequentur in quærendo.

4) Lips. ad Tac. Ann. XI, 33. Mai. præf. alt. ad Cic. ex oratt. partes. Mediol. 1817. p. 30. ap. Beier. Fragm. Cic. Oratt. p. XXXVII. &c.; recepit Beier Cic. Fr. Oratt. p. 212.

5) Vid. Noris. ep. consul. (ap Græv. Thes. Antiqu. Rom. T. XI.) p. 413. Spanhem. de usu et præst. numismat. T. II. p. 9. Fabric. ad Dion. Cass. II. p. 948. et quos præterea laudat Mai. l. l. quibus addendus est Marini gli Atti de' Fratelli Arval. P. 1. p. 65. II. p. 823. De Lipsii errore in persona et rebus Cæcinæ disputarunt Ryck. ad Tac. l. l. et Maius. Domum Cæcinæ Largi, incertum, num eandem, commemorat Plin. Hist. Nat. XVII, I.

6) Markland præf. ad Cic. oratt. IV. p. LXXVI. Wolff. sub Claudii aut Neronis principatu, vel, diligentius ducta coniectura ex hoc ipso loco Asconium circa a. u.

tur imperante, Cæcina sene, hæc scripta puto. Hæc ex ipsius Asconii verbis. Hieronymus autem in chronico Eusebiano ad annum septimum Vespasiani (a. u. 829.) hæc adnotavit: *Q. Asconius Pedianus scriptor historicus clarus habetur, qui LXXIII ætatis suæ anno captus luminibus, XII postea annis in summo omnium honore consenescit.* De hoc loco antequam plura dicam, occurendum est A. Maii dubitationi, qui de Asconii ætate disputans Hieronymi testimonium eripere nobis conatur [7]); tantam enim esse in illo loco scripturæ varietatem, ut non solum incertum sit, Asconiusne Pedianus intelligatur, necne, sed omnino alius intelligendus esse videatur. Utitur ad hæc confirmanda iis, quæ ad Hieronymi locum adnotata sunt in Opp. Hieronymi edit. Veronensi T. VIII. p. 681. Verum si quis Pontaci adnotationem, ex qua illa ducta sunt, inspexerit, inveniet, in prænomine aliquam esse discrepantiam, non maximam tamen, in nomine unam literam in duobus codd. aliter scribi, in cæteris (usus est autem Pontacus 25 codd., quorum plerosque accurate contulit) nihil esse varietatis, in cognomine nullam esse scribendi inconstantiam [8]). Asconium

812. aut certe post annum 795 scripsisse iudicat. Illud de anno 812 repetit p. 333; unde duxerit, nescio. Marklandum sequuntur Matthi ä (Grundriss d. Ges. d. gr. u. röm. Litt. p. 176.) et Bæhr.

7) l. l. p. 35. Beier p. XL. sq.

8) Pontaci adnotatio in ed. Ver., quam rariorem esse puto, hæc est p. 263.: "*Deest* Quirinus *in L. Pi.*

igitur Pedianum hic significari, certum est; neque hoc abhorret ab iis, quæ supra dixi; qui enim Nerone imperante scripserit, sub Vespasiano consenuisse, consentaneum est. - Sed oritur controversia. Philargyrius enim ad Virgilii Eclog. III, 105. Asconium Virgilium loquentem audisse narrat 9). Hoc vero fieri non potuit, si vera tradidit Hieronymus. A Virgilii enim morte ad septimum Vespasiani annum anni sunt XCIV, ut, si vel puerum admodum Asconium Virgilium ista narrantem audivisse sumamus, centum tamen annorum ætatem aliquanto superaverit. Id quum videret vir sum-

---

At in M. quinque Vatic. Lo. habebatur tantum simplex Q. *in A. simplex* C. *in P.* Squirinus. *in Vi. O. Peta. Fux.* Quintus, *sicut est in margine H. Pet. Ba. B. et So. Gesnerus in Bibl. utrumque legit et* Quintus *et* Quirinus; *sed primum sibi magis placere docet. Cæterum pro* Asconius, *in Fa. V.* Ascodius: *in P. et tribus mss. Fab.* Squasconius: *in A.* Pasconius. *Referunt hæc circa 6. Vespasiani Pi. Vi. O. At circa an. 7. Lo. Fux. Peta. Fa. impressi."* Contulit codd. cum vetere aliqua editione, in qua *Quirinus* fuit, errore. Literæ H. Pet. Ba. B. So. editiones significant, non codd. mss. In P., tribus mss. Fabri, A. prænomen cum nomine scribendo coniunctum est. Ipsum prænomen in pluribus et, si Pontaco credimus, melioribus codd. Q. est.

9) *Item Asconius Pedianus ait, se audisse Virgilium dicentem, in hoc loco se grammaticis crucem fixisse; quæsituros eos, si quid studiosius occultaretur.*' Eadem in nonnullis codd adhærent Servii commentario, verbis paulum immutatis.

mus Jos. Scaliger, eo confugit [1]), ut duos diceret Asconios fuisse, alterum Virgilii et Livii (de quo postea dicam) familiarem, qui ad Ciceronis orationes scripsisset, alterum historicum; quod quam non sit veri simile, facile omnes intelligunt; nemo enim veterum duos huius nominis scriptores fuisse significavit, quod tamen in hominibus, quorum ætates inter se coniunctæ essent, utique fecissent; omnes inde a Plinio et Quintiliano ad scholiastas unum satis videlicet notum, adpellant [2]). Secutus tamen Scaligeri opinionem Jo. Gerh. Vossius eatenus est [3]), ut, quum primum eam simpliciter amplexus esset, mox se revocaret duosque quidem Asconios fuisse statueret, sed horum posteriorem et commentarios et historica scripsisse; ita Vossius nonnulla ex iis, quæ mox exponemus, evitavit, sed Virgiliano illi Asconio nihil fere reliquit. Scaliger autem postea [4]) Hieronymum lapsum esse in temporum notatione iudicavit, unumque Asconium scriptorem fuisse, qui prius vixerit. Hoc sequuntur Harduinus [5]), Fabricius, alii [6]). De Maii sententia antea dictum est. Equidem

---

1) Animadverss. ad Eusebii chronic. p. 183. edit. 1.

2) Non utor hoc loco iis, quibus postea ostendam, commentariorum scriptorem ab historico seiungi nullo modo posse.

3) de hist. Lat. 1, 27.

4) in altera edit. Euseb. chronic. p. 200.

5) ad Plin. in ind. auctor. T. 1. p. 99. ed. in 4.

6) Saxius in Onomastico 1. p. 249. proposita priore Scaligeri sententia, hac nodi dissolutione non opus esse putat; quidni enim decrepitam et centenario vitæ anno

etsi lapsum non raro in huiusmodi rebus Hieronymum video, tamen non intelligo, cur eius testimonium Philargyrio postponamus, incertæ ætatis et fidei scriptori, quum præsertim notum sit, quot fabulæ Grammaticis Virgilium interpretantibus originem debeant; constet autem, in iis maxime fingendi licentia usos esse, quæ ad ipsius poetæ res, dicta, aliaque eiusdemmodi pertinerent. Atque huius licentiæ suspicionem in ipsa hac Philargyrii nota alia præterea res movet [7]). Sed sunt alia graviora argumenta ad Philargyrii fidem convellendam. Primum ut credamus extremo Virgilii anno Asconium viginti annos habentem (minorem natu ad huiusmodi colloquium admissum putare vix possumus) ex Virgilio hoc audisse, natus erit Asconius a. u. 715. Itaque quum post secundum Claudii consulatum scripserit, scripsisse putandus erit 80 annos natus; non nimis hoc verisimile est; nihil est enim in veris Asconii commentariis tam senile; si vero, ut opinor, post Claudii mortem scripsit, necesse erit, 92 minimum annos natus commentarios composue-

---

proximam senectutem attingere potuisse? Verum, ut dixi, multo illam ætatem supergressus esset, et Hieronymus multo minorem natu sub Vespasiano vixisse tradit, et cæteræ difficultates non tolluntur.

7) Præcedunt in eadem nota hæc: *Aliter: dicit Cornificius ab ipso Virgilio audisse, quod Coelium Mantuanum quendam tetigit, qui consumptis omnibus facultatibus, nihil sibi reliquit nisi locum trium ulnarum ad sepulturam.* Alia prorsus loci explicatio alius scriptoris auctoritate ad Virgilium refertur.

rit. Tum, si Philargyrio credemus, non solum in ætate Asconii notanda lapsum Hieronymum dicemus, sed in eo etiam, quod eum LXXIII annos natum oculis captum tradiderit; nam commentarios post hanc ætatem scripsisse putabimus, et quidem filiorum causa adeo puerorum, ut propter ætatem publicorum negotiorum morem minus tenerent [8]). Deinde Quintilianus ex Pediano quædam se de Livii orthographia comperisse scribit [9]); Quintilianus natus est circa primos Claudii annos [1]), quem ut concedamus adolescentem, quo tempore Romæ Domitium Afrum et Senecam audivit [2]), illa ex Asconio accepisse, tamen plane puer neque, utrum Livius *quasi* an *quase* scripsisset, curabat, neque quid Asconius in scribendo observaret. Faciamus igitur Quintilianum, quum octodecim annos haberet, hæc ex Asconio audisse; habebimus Asconium prope centun annos natum huiusmodi res docentem; quamquam multo est probabilius, virum ex viro hoc audisse. Quum enim Quintilianus aliquid se ex iis, qui multo natu maiores essent, audisse refert, solet, ne error et dubitatio oriatur, ipse addere,

---

8) ad Cic. pro Mil. c. 6. p. 151.

9) Inst. Orat. 1, 7, 24. *Comperire ex aliquo* nunquam dici de eo, quod scriptis eius legendis discamus, Maii causa adnoto; vid. l. c. p. 34. (p. XL. Beier.) Fabricius ex hoc loco Quintilianum Asconii auditorem fecit.

1) vid. Dodwell. Ann. Quint. §. 5.

2) vid. Dodwell. et Gesner præf. Quint. §. 4.

adolescentem se illos vidisse [3]). Hoc quidem loco videtur significare, Asconium non ita remotum ab eo tempore, quo ipse scriberet, fuisse. Adiiciemus his argumentis alia, ex quibus pateat, Asconium Augusti ætatem, nisi puerum, non attigisse. Primum id gravissimum est, quod, quum res extrema Ciceronis ætate gestas diligenter exponat, nihil se unquam ex iis, qui ipsi illis rebus interfuissent, audiendo accepisse significat, omninoque ita illorum temporum historiam tradit, ut nihil eius ætate ore traditum de iis exstitisse, sed omnia legendo comperta videamus [4]). Id autem in eum non cadit, qui cum Virgilio, id est, cum Asinio Pollione, Messala Corvino, aliis eiusdem ætatis vixerit. Et totum quidem hoc quale sit, ex perpetuo narrationis quasi tenore facilius sentitur, quam exemplis docetur. Sed tamen, si Augusti ætate vixisset Asconius, vixisset cum Livio, et, ut erat diligens monumentorum investigator, eadem, quæ ille, reperire potuisset; utitur autem pro testimonio in temporibus Ciceronianis Livii narratione [5]); patet idem clarius in Fenestella, quem

3) vid. VIII, 3, 31. X, 1, 24. X, 1, 102. &c.

4) vid., ut exemplo utar, ad Cic. in Pis. c. 11. p. 125. *Socrus Pisonis quæ fuerit, invenire non potui, videlicet quod auctores rerum non perinde in dominibus ac familiis foeminarum, nisi illustrium, ac virorum nomina tradiderunt.* Excludo in tota hac de ætate disputatione commantarios in Verrinas.

5) ad Corn. I. p. 98. p. 959. Græv.

Plinius [6]) novissimo Tiberii principatu mortuum scribit. Hunc Asconium sic commemorat, ut, quamquam eius errores adhibitis actis publicis corrigat, tamen aliquanto se superiorem et Ciceronis ætati propiorem significet [7]). Diligens est præterea in ætate scriptorum constituenda dicendi generis ratio habenda; quum autem id tantum in quæstionem veniat, Augustine ætate an proxima post eum Asconius vixerit, non magnam hoc temporis spatio factam esse Latini sermonis mutationem constat; ac tamen in iis, quæ Asconii esse postea videbimus (nam cæteras sordes attingere ratio vetat), sunt nonnulla, quæ in eius hominis scriptis, qui Augusti ætate suum dicendi genus confirmasset, non essent. Ex hoc genere est, *destrictum propositum adversus principum voluntatem* [8]); ita enim *destrictus* apud Augusteæ ætatis scriptores non dicitur, Claudii et Neronis ætate sæpe [9]).

---

6) Hist. Nat. XXXIII, 11. s. 52. Hieronymus mortem eius ad sextum Tiberii annum retulit.

7) locos infra laudabo.

8) Arg. Corn. p. 94. p. 950. Græv.

9) Lexicis addi potest præter Asconii locum *destrictum testimonium* ex Val. Max. VIII, 5, 2. Recte Asconii ed. prima *destrictum* habet; origo huius dicendi usus perspici potest ex Senec. de ira II, 10. cl. de benef. VI, 34. Extrema ætate *destrictio* pro *severitate* dicebatur; certe ita scripsit Cassiodorus. Ex hac significatione repetenda esset origo locutionis plane singularis *frontem destringere*, quod significare putant *audacem fieri* apud Quint. XII, 6, 2; sed totum hoc

Ipsum *propositi* vocabulum pro substantivo addito adiectivo positum aliquid novi habere videtur. Huius ætatis, non superioris, est etiam usus verbi *imputare*, ut sit *aliquid sibi gratiæ adponi postulare* [1]), et particulæ *demum* pro *tantum* [2]), tum locutio *adiutorium præbere* [3]).

Restant alia quædam ætatis Asconii indicia, quæ quid ad hanc rem definiendam valeant, videndum est. Apud Suidam Asconius cum Junio Blæso, qui consul fuerit cum Lucio, ad coenam Apicii ve-

---

commentitium est; nam frontem, sedem pudoris, aliquo modo pro pudore dici novi; *destringere frontem* dici non potest, non magis quam *pudorem*, nisi quis forte de perfricanda fronte cogitat, quod alio pertinet; tum immaturam frontem non intelligo; deinde Fabius subiicit: *Nam inde et contemtus operis innascitur et fundamenta iaciuntur impudentiæ;* itaque antea certe non idem dixit; postremo quid intelligéndnm sit, monstrant verba *acerbum proferatur.* De *fronde* loquitur Quintilianus, quam neque vult antequam ad fructum pervenerit, destringi, neque, fructus quicquid sit, acerbum et immaturum proferri. Cfr. §. 3.

1) ad or. in T. C. p. 112. p. 980 Gr. cfr. Casaub. ad Suet. Tib. 53. O. Borrich. Cogitt. d. L. L. ætat. p. 290. Cellar. Cur. Post. p. 145. (ed. Ien. 1733.) Sic Tacit. Hist. 1, 38. 1, 55. Senec. de brev. vit. 3. Idem Seneca huic verbo ablativum, quem vocant, pretii adiunxit Cons. ad Marc. 1, 3. *auctori suo magno imputata;* quamquam ibi non hæc est significatio.

2) ad orat. in T. C. p. 113. p. 983 Gr. p. 525 Or.

3) Argum orat. pro Scauro post med. p. 132.

nisse dicitur [4]. Id Scaliger et Vossius ad Junium Blæsum in Vitellii historia a Tacito sæpius commemoratum [5] retulerunt; rectius Maius ad Junium Blæsum, Tiberio imperante clarum [6], alterius patrem, Seiani avunculum [7]. Marcus Apicius est ille nepotum omnium altissimus gurges a Plinio appellatus, qui Augusti et Tiberii temporibus vixit [8]. Junium Blæsum inscriptio quædam [9] consulem habet cum L. Anstitio Vetere ante C. Rufi Gemini et L. Rubellii Gemini consulatum (782.) Muratorius, quem Maius sequitur [1], hunc putat eundem esse Antistium Veterem, quem cæteri Caium appellant, consulem cum Asinio Pollione

4) v. Ἀπίκιος Μάρκος his verbis: ὑπάτω δὲ ἤστην Ἰούνιος Βλαῖσος καὶ Λεύκιος. ὁ τοίνυν Βλαῖσος ἐπὶ τὴν θοίνην κληθεὶς οἷον ἐφολκίδα ἄκλητον ἐπάγεται Ἀσκώνιον Παιδιανόν. ἐξῆν γὰρ καὶ ἐπικλήτους οἱονεὶ σκιὰς ἑαυτοῖς παρακαλεῖν τινάς. Eadem inde a v. ὁ τοίνυν s. v. Ἀσκώνιος Παιδιανός leguntur.

5) Tac. Hist. 1, 59. II. 59. III, 38.

6) Vell. II, 125. Tac. Ann. 1, 16. III, 35. et ad eos locos interpp.

7) Mai. præf. alt. p. 36. 37. p. XLI. sq. Beier.

8) Plin. Hist. Nat. X, 48. s. 68. De hoc Apicio cæterisque eiusdem nominis veterum scriptorum locos congesserunt Fabr. Bib. Lat. II, 25. T. II. p. 468 sq. et Funcc. de imminenti L. L. senectute p. 172 sq.

9) Murat. Nov. Thes. Inscriptt. 1. p. CCCI, 4.

1) Murat. l. c. et in Ann. Ital.; quod Maius laudat Art de vérefier les dates T. 1. 351. (1783), ibi catalogus consulum ex Muratorii Ann. Ital. transscriptus est.

a. 776; vitiosumque esse Caii prænomen, Blæsum autem Pollioni suffectum. Verum Antistium illum non solum codd. Taciti, Plinii Maioris, Dionis Caium appellant, verum inscriptiones quoque apud Grut. 1041, 15 et Fabretti 627, n. 234; ut ab eo Lucius diversus esse necessario iudicandus sit; et videtur sane præter C. alius Antistius Vetus consul Tiberii temporibus fuisse [2]). Hunc igitur Lucium illum putarim, eumque consulem suffectum cum Blæso fuisse, incertum, quo anno, etsi, quum res gestas Blæsi et proconsulatum Africæ considero, non multum ab eo anno, quo C. Antistius consul fuit, abfuisse eorum consulatum, credo. Circa hæc igitur tempora Asconius non plane puer fuerit, necesse est. Servius quoque aliquid ad hanc quæstionem confert, qui ad Virgilii Eclog. IV, 11. narrat, Asconium Pedianum a Gallo audisse se referre, hanc eclogam in honorem suum factam [3]). Intelligitur C. Asinius Gallus, Asinii Pollionis filius, consul a. 746, qui mortuus est a. 786 [4]). Cum hoc igitur, si Servio credimus, (nec video, quid obiici admodum possit, nisi quod auctor non optimus est in historia), Asconius collocutus est; sed illud de Virgilio ab Asconio audito tantum abest, ut confirmetur hac narratione, ut plane evertatur; Asconius enim ætate inferior, ex Gallo,

2) vid. interpp. ad Vell. Paterc. II, 43. et Ryck. ad Tac. Ann. IV, 1.

3) Absunt tamen hæc a multis Servii codd.

4) Tac. Ann. VI, 23.

Virgilii temporibus propiore, quo ille consilio poema scripsisset, accepit. Deinde de Livio dubitatio oritur, qui quum ab Asconio *Livius noster* appelletur [5]), amicitiam inter eos fuisse putant. Verum et Livium et Fenestellam, Livio posteriorem, Asconium se superiores fuisse significare, iam dixi. Recte igitur hæc adpellatio ab aliis, quamquam Scaliger repugnat, ad communem patriam refertur. Quoniam igitur Philargyrio fidem non esse habendam ostendimus, multaque esse vidimus, quæ persuadeant, multo inferiorem Asconii ætatem fuisse, redimus ad Hieronymum. Huius equidem testimonium non ita defendam, ut plane verum putem; nam si Vespasiano demum imperante Asconius inclaruisset, neque Junii Blæsi ætatem attigisset, et, quum ad ultimam senectutem pervenisse dicatur, Domitiano superstes fuisset et ad Nervæ Traianique tempora vivendo pervenisset. Quintilianus autem minime obscure eum aliquanto ante quam ipse institutionem oratoriam ederet, mortuum, significat [6]). Accidisse igitur Hieronymo hic videtur, quod alibi accidit, ut scriptorem eo tempore clarum habitum esse adnotaret, in quod non tam ætatis et laudis flos incidisset, quam una aliqua res in eius vita memorabilis, vel ad ultimam senectutem spectans. Et utetur for-

5) ad. Corn. I. p. 105 p. 968. Græv. p. 201 Sch.

6) I, 7, 24. *ex Pediano, qui et ipse eum sequebatur;* nec altero loco V, 10, 9 videtur mihi nuper mortui hominis testimonio ita usurus fuisse.

tasse aliquis ea coniectura, ut hoc anno incommodum illud coecitatis Asconio accidisse ab Hieronymo notandum fuisse dicat. Ita Asconius, a. 829 annos 73 habens, natus erit a. 756; adolescens Blæsum ad coenam euntem comitatus esse putabitur; Asinium Gallum audisse commode poterit. Sed tamen, ut dicam, quod sentio, vel sic, si quid veri inest in Hieronymi narratione de duodecim annis in illa calamitate exactis, nimis prope ad Quintiliani tempora et ipsam institutionis oratoriæ editionem accedere mihi videtur; nam ex Plinii verbis, utrum is Asconii mortui an vivi testimonio utatur, non satis est apertum [7]); nimis quoque adolescentulus in illa ratione ad Blæsi consulis familiaritatem admittitur. Itaque ex Hieronymi adnotatione hoc tantum teneo, Asconium senem Vespasiani tempora attigisse et fortasse Titi et initium Domitiani; natum autem esse puto paulo ante annum primum Christi; quos si eius ætatis fines constituerimus, conciliasse probabiliter inter se testimonia, quibus hæc disputatio continetur, mihi videmur, præter Philargyrii.

De vita et rebus Asconii nihil fere traditum est. Patavinum fuisse, antea ex loco quodam commentariorum admodum probabiliter coniici dixi [8]).

---

7) H. N. 7, 48. s. 49 extr. *Sammulam quoque centum decem annis vixisse auctor est Asconius Pedianus.*

8) Patavinum quis e recentioribus primus Asconium dixerit, nescio; Manutius et Sigonius sic adpellant. Cfr. Lips. Elect. lib. 1, 17. quem Fabr., Func., alii se-

Hoc confirmant Silii versibus aliquot, quibus is iuvenem Patavinum, Pedianum, belli pacisque artibus egregium ita celebrat, ut eos Asconii Pediani honoris causa scriptos putent [9]). Certe Pedianos familiæ antiquitate claros Patavii sedem habuisse ostendere videntur, et in ea familia studia literarum fuisse. Certum enim esse videtur vel ex nomine, Silium, in hoc quoque Virgilii imitatorem, suæ ætatis hominem his versibus significasse [1]). Ipsum autem commentariorum scriptorem quo minus a Silio celebratum putem, prohibet, tum quod senem Asconium (senex autem fuit, quum Silius carmina

---

quuntur. Fabricius laudat Bernardinum Scardeonium de antiquitate urbis Patavii et claris civibus Patavinis. Vossius ipse in hanc sententiam transiit, quum eam in prima edit. librorum de historicis Latinis improbasset.

9) Punic. XII, 212 sq. maxime v. 217 sq. *Huic pater Eridanus Venetæque ex ordine gentes, Atque Apono gaudens populus, seu bella cieret, Seu Musas placidas doctæque silentia vitæ Mallet, et Aonio plectro mulcere labores, Non ullum dixere parem; nec notior alter Gradivo iuvenis, nec Phoebo notior alter.*

1) Dixi *Pedianos;* si enim ipse commentariorum auctor non intelligitur, sed alius quis, plures certe eo nomine fuerunt. Ac mihi Silius, quum ita scriberet (214 sq.). *Atque Antenorea sese de stirpe ferebat, Haud levior generis fama sacroque Timavo Gloria, et Euganeis dilectum nomen in oris,* non videtur nomen in uno aliquo ex gente Pedia in aliam transgresso usurpatum positurus fuisse. Aut igitur non ex ea gente derivatum nomen est, aut in pluribus mansit, ut factum in aliis quoque est, imperatorum temporibus.

scribebat) [2]) vix putaverim sub iuvenis persona inductum, tum quod poeticæ facultatis laudem maxime Silius persequitur, quam in hoc nostro nemo commemoravit. Itaque in eam partem inclino, ut Pediani eius, cuius nos commentariorum reliquias habemus, filium illis versibus laudatum putem. Ac ne in hoc quidem quisquam illam facultatem fuisse tradere fateor; sed facile huius lusus aliquot in hoc genere latere poterant, (et quis non tum versibus ludebat?); in patre id minus probabile mihi videtur, quum in aliis literarum generibus non obscurum eius nomen esset. Et congruit cum iis, quæ de Asconii ætate diximus, eum filium habuisse, Silio, qui circa a. 853 mortuus est 75 annos natus, paulo ætate minorem. Sed hæc de patria; de vita acta nihil traditur; privatus in literis consenuisse videtur. Non semper Romæ vixisse, sed aliquando in patria, et ibi ea, quæ nos habemus, scripsisse conicere aliquis possit ex loco quodam, ubi ita loquitur, ut filii eius, ad quos scribit, Romam quidem vidisse, nec tamen tum ibi fuisse videantur [3]). Studia eius in veterum scriptorum subtiliore cognitione et de iis iudicio

---

2) Scripsit Silius post consulatum, quem gessit extremo Neronis anno (821); Vid. Mart. Epigramm. VII, 62, 9.sq. Eo magis eos miror, qui, ut Fabricius et alii, Asconium cum Virgilio vixisse contendunt, et tamen Silii versus de eo intelligendos putant.

3) ad orat. pro Scauro p. 138. p. 1013. Græv., quo loco iam supra usus sum: *Demonstrasse vobis memini me* &c. cfr. ad orat. pro Mil. 19. p. 155. *Via Appia est*

et in historia maxime occupata fuisse videntur [4]). Grammaticum de schola fuisse aut eas grammaticæ artis partes, quæ in scholis præcipue tradebantur, scriptis excoluisse, nihil est, quod ostendat; nam quod Quintilianus ex Asconio se de Livii voces *sibi* et *quasi* scribendi consuetudine comperisse scribit, id non eiusmodi est, ut necessario ab homine Grammaticam profitenti observatum sit, nisi forte quis et Ciceronem et Quintilianum grammaticos appellandos putat. Scripsit Asconius librum contra obtrectatores Virgilii [5]), ex quo quæ-

---

prope urbem monumentum Basilii; hoc vix scripsisset iis, qui Romæ ipsi essent; (si *erat* dixisset, de monumento tum deleto, alia res esset). Alium locum huic coniecturæ faventem infra ponam.

4) Inter rhetores recensuit Passow (Grundzüge d. Griech. u. Röm. Litteraturgesch. p. 95)., puto, quod Fabricius Quintiliani doctorem fecerat; quæ in eius veris commentariis subinde de arte orationis monentur, non sufficiunt ad rhetoris nomen tuendum. In subdititiis non pauca rhetorica sunt.

5) Vid. Donat. in vit. Virgil 16, 64 p. LXXXVI. Heyn. ed. 3. 17, 65. p. LXXXVII; nec aliunde petita sunt, si Asconii sunt, quæ leguntur 5, 22. p. LXXIV; ex eodem libro ducta sunt, quæ ex Philargyrii et Servii commentariis attulimus, apud Philargyrium, ut fit, Grammaticorum nugis corrupta; ex eodem denique, quæ Probus habet prooem. ad Virgilii Bucol. p. 349. Lion. *Nec mirandum, quod infra se senem dicit, quum certum sit, eum, ut A. Pedianus dicit, XXVIII annos natum Bucolica edidisse. Nam* &c. Neque tamen credo, ipso Asconii libro usos hos grammaticos; Do-

dam Donatus et ceteri grammatici Virgiliani excerpserunt. Huiusmodi de scriptoribus superioris ætatis disputationes, accusationes, defensiones, illis temporibus, more ab Asinio Pollione orto, non infrequentes erant, exstabantque in hoc genere scripta Asinii Galli, Claudii imperatoris, aliorum [6]). Commentarios quoque in Virgilium Asconium scripsisse, quod recentiores nonnulli tradiderunt [7]), recte Heynius negavit [8]). Sallustii quoque Crispi vitam

---

natum pro certo adfirmare non dubito, etsi solus titulum libri posuerit, tamen eum non habuisse. Quædam ab antiquioribus grammaticis excerpta quasi per manus tradebantur et cum infimæ ætatis commentis coniungebantur; ea observatio de extremorum temporum scholiastis late patet, ipsique infra exempla in Ciceronianis commentatoribus dabimus. Nec adfirmaverim, in Asconii libro ea fuisse, quæ apud Donatum leguntur §. 22.

6) Eo minus intelligo, cur Beier (Cic. Fragm. Oratt. p. XXXIX. not. 36.) ex huius libri commemoratione Asconium Virgilii ætati adfinem fuisse concluserit. Nec ex ipsis illis, quæ apud Donatum ex eo libro adferuntur, quidquam Asconius aut ab ipso Virgilio aut ab eius æqualibus audisse dicitur, in quo J. G. Vossius erravit. De obtrectatoribus illis Virgilii præter Heynium ad Donat. p. LXXXVI. et LXXXVII. dixisse laudatur A. Weichert in commentat. de obtrectatoribus Horat. p. 4. sq.

7) Fabric. Bibl. Lat. II. p. 68. Ern. Bæhr Gesch. d. Röm. Lit. p. 395.

8) ad Virg. T. 1. p. CCXXXXV. (de antiquis Virgilii interpretibus.)

composuit, a commentatoribus Horatianis laudatam [9]); de quo scriptore magnas controversias iam illa ætate fuisse, satis notum est. Nec tamen propter hunc librum maxime ab Hieronymo historicum adpellatum, nec alia et maiora opera ex historico genere interisse, propter eam adpellationem suspicandum esse, postea ostendam. Postremo in Ciceronis orationes commentarios scripsit, quamquam commentariorum nomen incertum est; nam neque apud veteres scriptores reperitur, neque in codd. ex Poggii apographo descriptis est, neque in ed. prima. Codicum descriptores pro arbitrio nomen imposuerunt; ut B. de Montepoliciano argumenta appellavit [1]), librarius cod. Ambrosiani alterius glossulas [2]); ed. prima nullum ominno habet nisi scriptoris. Hos filiis se scripsisse ipse significat [3]). Videtur autem omnes Ciceronis orationes persecutus esse; nam neque eæ orationes, in quas commentarios habemus, coniunctæ sunt, et ipse multis locis se in alias quo-

---

9) Acron ad Hor. Sat. 1, 2, 41. *Hoc de Sallustio videtur dicere: Sallustius enim Crispus in Faustæ, filiæ Sullæ, adulterio deprehensus, ab Annio Milone flagellis cæsus esse dicitur, quemadmodum Asconius Pedianus in vita eius significat.* Eadem fere Scholiastes Crucquii.

1) Band. Catal. Codd. Latt. Bibl. Laur. II. p. 638.

2) Mai. præf. alt. p. 25. (p. XXXIII Beier).

3) ad orat. pro Mil. 6. p. 151.

que scripsisse ostendit [4]). Quæ Gellius [5]) ab Asconio Pediano de Fenestellæ errore in definiendo anno, quo habita esset oratio pro Sexto Roscio, dicta retulit, ea ad hos commentarios pertinent, posita sine dubio in argumento eius orationis, ut similis disputatio in argumento Pisonianæ. Quintilianus quoque alicubi e commentariis Asconii exemplum sumpsit [6]). Plinius Asconium inter scriptores, quibus in septimo libro usus est, posuit [7]); quod in ipso septimo libro [8]) ab Asconio traditum refert, in quo Asconii libro lectum olim fuerit, nescio. Quales autem sint hi commentarii et cuius argumenti, infra exponam. Neque præter hæc quid Asconius scripserit, si plura scripsit, scimus. Nam initio seculi XVI. rumorem sparsum fuisse, inventos esse in Gallia Asconii Pediani XII. elegantiarum libros, quos L. Valla antea habuisset et ex quibus multa in suos transtulisset, satis est.

---

[4]) ad Corn. p. 96. (Apud Græv. p. 957 et Sch. p. 189 male legitur *significavit* pro *significavimus*, ut superiores edd. recte habent; ed. 1. *significabimus*;) ibd. p. 96. p. 959 Gr. p. 190 Sch. (*sicut iam ostendimus*), ad Pison. 3. p. 122. p. 124. 10. p. 125 (*dictum est in dissuasione legis agrariæ ad populum*), 15. p. 126. 26. p. 128 (*ut puto iam nos dixisse*); ad Mil. 6. p. 152. (*illud vos meminisse non dubito*), ibd. 35. p. 158 (*Puto iam supra esse dictum*).

[5]) XV, 28.

[6]) Quint. V, 10, 9.

[7]) vid. ind. auctor.

[8]) 48 f. 49.

verbo attigisse [9]); nec refellenda Ausonii Popmæ opinio, libellum *de origine gentis Romanæ* Asconio tribuentis, aut alius, ad eundem librum de libris illustribus referentis [1]).

De Asconio ipso hæc dicenda erant; deinceps sequitur, ut de iis, quæ sub eius nomine partim iure partim iniuria circumferuntur, exponendum sit.

II.

Asconii vulgo ad nos pervenisse putantur commentarii in Ciceronis Divinationem, Act. I. in Verr., Act. II. in Verr. Lib. 1. et Libri II. partem (ad c. 14.), tum in orationes pro Cornelio I. et II., in toga candida, pro Scauro, in Pisonem, pro Milone. Qui quales ipso genere sint, prius quam dicamus, nonnulla necessario de eorum quasi historia et externo habitu disserenda sunt; pertinet enim, hæc tenere, tum ad recte de Asconii scriptis iudicandum, tum ad ea emendanda [2]).

---

9) vid. Voss de hist. Lat. l. c., et Fabric. Bibl. Lat. l. c. p. 68. Maius (p. 23. p. XXXII. Beier) Vallam ab hoc crimine defendentem demonstrat Christ. Poggialum, Italum.

1) vid. Fabric. II. p. 69 Funcc. de imm. senect. Ling. Lat. p. 320.

2) In hac disputationis parte plus efficere poterunt, qui aut ipsum Poggii apographum Florentiæ inspiciendi potestatem habebunt, aut certe alios codd. ex eo ductos.

Poggium Bracciolinum, Florentinum, eruditione et scriptis clarum, quum concilio Constantiensi ab a. 1414 ad a. 1418 interesset, multa et præclara veterum scripta ex bibliothecis Germaniæ et Helvetiæ protraxisse et in Italiam pertulisse, nemo est, qui ignoret, ex iis, quibus literæ Latinæ curæ sunt [3]). Inter hæc Asconii quoque commentarios, qui nunc exstant, tum reperit in monasterio Sancti Galli apud Helvetios a. 1416. et descripsit, de qua re testis est et ipse Poggius [4])

Tum libris nonnullis ægre carui; ut statim Poggii historiæ de varietate fortunæ libros IV. cum epistolis nunquam editis, Lutet. Paris. vulgatos a. 1723, nancisci non potui; quod eo molestius tuli, quod apud Bandinium in Catal. Codd. Latt. Bibl. Laur. II. p. 503. hæc scripta sunt: "SAEPE de suo Asconii Manuscripto in Epistolis ad Niccolum loquitur idem Poggius." Neque Jacobi Lenfant Poggiana (Amstelod. 1720. 8.) habui.

3) vid. J. B. Recanat. vit. Poggii ante Poggii hist. Florent. Venet. 1715. 4. et in Græv. et Burm. Thesaur. Antiquitt. Ital. T. VIII. p. 1. (pag 10. sq.) Fabric. Bibl. Lat. Lib. II. c. 15. T. II. p. 259 sq. Em. Tiraboschi Storia della letterat. Ital. VI, I. p. 104. (ed. Rom. 1783. 4.) VI, 2. p. 43. sq. Heeren Gesch. d. Studiums d. class. Litterat. II. p. 222 sq.

4) in ep. ad Guarin. Veronensem data Constantiæ XVII Cal. Jan. Anno Christi MCCCCXVII. edita post alios a Fabricio Bibl. Lat. l. l. p. 260. et in subscriptione cod. Valerii Flacci apud Pignor. in Antenore c. 16. (Thesaur. Antiqq. Italiæ VI, p. 3. p. 80.) unde descripsit Vossius et Fabric. (Bibl. Lat. II, 14. T. II.

et alii [5]), servaturque codex Poggii manu scriptus hodie Florentiæ in bibliotheca Riccardiana [6]). Barptolemæus quoque de Montepoliciano, Poggii comes et in investigatione veterum scriptorum socius, se, quum Asconius inveniretur, adfuisse, significare videtur in adnotatione codici, qui ab eo scriptus in bibliotheca Laurentiana servatur, subiecta [7]). Pistorii in bibliotheca, quam patriæ

---

p. 251.): *C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum est in monasterio Sancti Galli, prope Constantiam XX millibus passuum una cum parte Q. Asconii Pediani. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum, nos quod potuimus egimus. Poggius Florentinus.* Alii Poggii epistolæ de Quintiliano et Asconio respondit Leon. Arretinus Idibus Septb. 1416. Vid. eius epp. IV, 5. p. 112 Flor. 1741. (IV, 4. p. 122 Fabr.)

5) Franc. Barbarus, Venetus, in collaudatione ad Poggium data Venet. 1417. 7 Jul. (ap. Fabric. Bib. Lat. l. l. 262.) Vossius de historicis Lat. III, 5. Raphaëlem Volaterranum et Iovium laudat. Adde subscriptionem ed. 1. et Robortelli Adnott. II, 7. (in Grut. Fac. Art. II. p. 70.)

6) Bandini l. not. 2. cit. et Mai., cuius causa codex nuper inspectus est a Zannonio, Florentino, comment. de ed. princ. Mediol. operum Front. (in Cic. Oratt. Fragm. 1817.) p. 36.

7) vid. de hoc Barptolemæo Franc. Barb. l. l. (not. 5.). Bandini l. l. p. 433. et 638. Lagomars. epist. ad Facciol. in ed. septem eius oratt. Rom. 1753. 8. (laudant Bandinius et Maius; ipse non vidi.). Codex est plut. 54, 5, cuius in fine hæc leguntur: *Finis argumentorum quorundam* (Mai. *quarundam*) *Orationum Ciceronis, eorum, quæ invenimus in Monasterio Sancti Galli, quæ licet imperfecta et in compluribus locis*

suæ reliquit Sozomenus, Canonicus Pistoriensis, exstat codex Asconii, quem non improbabile est ab ipso Sozomeno in Helvetia descriptum esse [8]). Constantiæ enim tum Sozomenum fuisse, Bandinius adnotavit, ac fortasse operam suam ad conquirendos antiquorum scriptorum libros una cum Poggio aliisque viris clarissimis contulisse. Ita quum Asconii pars in Italiam perlata esset, non defuerunt hominum studia in exemplaribus describendis; itaque non pauci Asconii codices postea in hominum manibus versati sunt, omnes ex Poggii apographo descripti, ut in bibliotheca Laurentiana præter cod. B. de Montepoliciano tres sunt huiusmodi codd., plut 50. cod. 4, plut. 54. cod. 27, plut. 54. cod. 29, quorum primum et secundum Lagomarsinius contulit [9]), in Ambrosiana duo, quos Maius adhibuit [1]). Neque alius generis fuerunt, quos edi-

---

corrupta esse videantur, non mediocrem tamen bene studentibus poterunt utilitatem afferre. Die XXV. Julii MCCCCXVI. B. de Montepoliciano.

8) Bandini l. l. p. 503. Ad calcem codicis hæc leguntur: *Finis argumentorum quorundam Orationum Ciceronis, quæ invenimus in Monasterio S. Galli, quod XV millibus passuum a Constantia remotum est. X. Kal. Aug. MDCCCCXVII. Constantiæ.* In anni nota error esse videtur apud Bandinium.

9) Band. l. c. p. 503. Niebuhr Röm. Gesch. 1. p. 492. ed. alt.

1) Fragm. Oratt. præf. alt. p. 25. (p. XXXIII Beier.) et in catalog. Cic. codd. Ambrosian. p. 232 et 233. Inscriptiones in alterius initio, alterius fine indicant, com-

tores Asconii adhibuerunt, Danesius, Hotomanus, Grævius, quod ex eo perspici potest, quod non solum omnes easdem habent lacunas, sed in corruptelis gravissimis ita consentiunt, ut satis adpareat ex uno fonte ductos esse, subinde correctos, sæpe interpolatos et depravatos [2]); nisi forte ex

---

mentarios in concilio Constantiensi repertos fuisse. Nescio autem, num Poggius ipse aphographo suo nomen subscripserit, ac pæne suspicor non factum, quoniam Zannonius, *manum ipsam Poggii evidenter agnosci*, Maio scripsit, nominis adiecti mentionem sine dubio facturus, si adesset. Inde factum puto, ut ne in Mediolanensibus codd. adderetur; neque in Florentinis esse Bandinius tradidit.

2) Exempla ponam, ut res magis appareat, ex uno argumento Cornelianarum. In hoc hæ lacunæ sunt in ed. 1.: p. 91. Hot. *questus est de ea * ne exhauriri* (ubi asteriscum posui, vacuum est spatium IX literarum); explevit primus Hotom. coniectura, ut ipse indicat; eadem pag. *unde * præsentia darent;* (spatium XIV lit.) sic etiam cæteræ ante Hot., qui edidit: *unde in præsentia pecuniam creditoribus;* nota est: *pec. cred.*] *Hæc duo verba desiderabantur in manuscripto;* de *in* neglexit, ut alibi fecisse infra videbimus; pag. 92. *vel paucos * gratificari solebant;* (spat. X lit.) hic Hotom. edidit *vel pauci senatus consultum facere solebant*, aperta interpolatione; p. 93. *deinde quod ex S. C. āno cos. ** (spatium X lit.) *præsidebant: & iudicio non respondisset ** (spat. X lit.) *atque esset damnatus recreavisset ** (spat. XII lit.) *iam accepta pecunia tollere ait ** (spat. XI lit.) *cornelium;* et statim *me g̊ ** (spat. X lit.) *cornelius perterritus manilii exitu ** (spat. IX lit.) *in iudicium;* hic ipse Hotom. asteriscis uti cogitur; p.

Barptolemæi et Sozomeni codd. exemplaria nonnulla transscripta sunt, quod tamen vix factum puto, Poggii, hominis celeberrimi et inventoris, auctoritate cæteris officiente. De codice Sancti Galli nemo amplius cogitasse videtur, factumque est in hoc cod., quod in aliis antiquissimis, et ex quibus novæ scriptorum veterum partes erutæ essent, ut in cod. Livii Bambergensi, ut prorsus negligeretur, neque a quoquam commemoraretur; neque quid eo factum sit, nunc constat. Neque id mirum est; nondum enim in Helvetia et Germania harum literarum studia renata erant; postea res iam in oblivionem abierat, versabanturque in hominum manibus apographa Poggiana, quæ quam

---

94. *ipse globulus, qui* * (spat. VIII lit.) *serat;* hoc in ed. Ald. est; apud Manutium *qui intercesserat;* ipse nihil adnotavit; ead. pag. *apud duas* * (spat. XIII lit.) *præfecturas equitum R. et tribuno* * (spat. XIV lit.) *et ex tertia quoque parte* * (spat. X lit.) *apud plerosque exceptis iis* * (spat. X lit.) *familiaris.* Hic omnes corruptelæ signa adiiciunt. Postremo eadem pag. *futurus esset* * (spat. XIII lit.) *a summis viris dicit, estimo* * (spat. XIII lit.) *et id quod;* hic quoque apud Manutium scriptum reperio non interrupta verborum serie: *futurus esset. A summis viris dici testimonium, et id* &c. Multo maior esset codd. discrepantia, proferrenturque diversæ eorum lectiones, si qui, non dico ex alio quam ex Sangallensi, sed si ex hoc ipso, non ex Poggianis schedis, derivati essent. Nunc diversæ lectionis in Asconianis nihil est, nisi levissimæ scribarum recentissimorum aberrationes et editorum coniecturæ.

recentia essent, vix suspicabantur, neque obscuras illas Scti Galli latebras iterum perscrutandas putabant. Longe enim post homines eruditi in codicibus æstimandis severi esse coeperunt [3]). Itaque ad eandem apographorum Poggianorum familiam pertinere arbitror codd. duos Parisinos, Vindobonensem Gothanumque a Savignio commemoratos [4]). Quum igitur in Asconianis omnia referantur ad auctoritatem codicis Sangallensis, et, ut nunc quidem res est, apographi Poggiani, dolendum est de neutro codice satis dilucide tradi posse. Poggium quidem omnia ea, quæ nunc pro Asconianis eduntur, descripta ex Helvetia adtulisse, uno in loco reperta, contra quam suspicatus erat Niebuhr, intelligitur quum ex codice eius Florentiæ servato, et ex ceterorum codd. et edit. primæ subscriptionibus, tum ex ipsius verbis [5]). Qualis autem fu-

---

3) Norunt eruditi, quam diu in multis Ciceronis operibus criticos luserit fallax recentium codd. Italicorum auctoritas, quum in angulis Germaniæ Galliæve vel ipsius Italiæ (ut Vaticanus Philippicarum) pauci sed integriores codices laterent.

4) in commentat. de iure Italico (in scriptis Acad. Berolin. a. 1814–1816.) p. 44. Nimis dubitanter de hac re, sed tamen vere scripsit J. C. Orellius, vir clarissimus, in Jahnii Ann. Philol. et Pædag. III, 4. p. 86., qui, quum omnes Lucretii codd. ex uno ductos dixisset, adiecit: "Auf einer ähnlichen Spur bin ich rücksichtlich des Asconius Pedianus." Nec fefellerat hoc, certe de codd. Italicis, Lagomarsinium (cfr. Band. 1. l. II. p. 639.).

5) in epist. ad Guar. Veronens. p. 261. *expositiones tan-*

erit cod. Sangallensis, non indicat. Mutilum fuisse adparet; in ipso tamen commentariorum contextu folia, nisi uno loco, ut mox dicam, abfuisse non videntur. Lacunae in Poggii apographo multae fuerunt; in codice ipso non tam vacua spatia fuisse puto, quam partim foliorum oras aut avulsas aut a tineis blattisque paene comesas fuisse [6]), partim in codice antiquo

---

quam thema quoddam super octo Ciceronis orationibus Q. Asconii Pediani, de quibus ipse meminit Quintilianus. Duas Cornelianas connexas pro una posuit, fragmentum commentarii in libr. II. Act. II. in Verr. non numeravit.

6) Hoc ex eo coniicio, quod aliquot locis plures lacunae brevissimis intervallis et fere aequalibus disiunctae reperiuntur; ut nota ad Milon. c. 33 p. 157 et 158. in edit. prima haec est: — *in privato eodem hoc aliquid * Significat id tempus, quo P. Clodium * adhuc questor designatus esset * est cum intrasset eo ubi sacrificium pro p. r. fiebat. quod factum notatum erat * S. C. decretumque cx ordinem* (sic) * *iudicium fieret.* Obliterata sunt lacunae vestigia apud Manutium, qui nihil adnotat; in Aldina (1522.) vetus est lectio. Videtur in vetustissimo codice versuum finis detruncatus hoc fere modo:

— *in privato eodem hoc aliquid [profecerat.]*
Significat id tempus, quo P. Clodius, [cum]
adhuc quaestor designatus esset, [deprensus]
est, cum intrasset eo ubi sacrificium pro p. r.
fiebat. quod factum notatum erat [graui?]
S. C. decretumque [ut] *extra ordinem [de ea re]*
iudicium fieret.

et situ corrupto scripturam aliquot locis evanuisse, ut a Poggio legi non potuerit. Ipse enim scribit codd. Sangallenses fuisse *in teterrimo quodam et obscuro carcere, fundo scilicet unius turris, quo ne capitalis quidem rei damnati detruderentur* 7). Difficilis est autem huius rei explicatio, quod ex sola editione prima de lacunis codicis iudicare possumus, in quibus tamen exprimendis facile errari potuit, et erratum est, ut adnotatio ad orat. in Pis. c. 2. p. 122 in edit prima sic legitur: *Ego in C. Rabirio perduellio * xxxx annis ante me cos. interposita * senatus autoritatem sustinui contra * invidiam atque defendi. Possit aliquis credere * Ciceronem quidem dicat* &c. (vacuis spatiis, ubi

---

De supplementis me nihil adfirmare, vix dici opus est. Huic loco videtur in altera folii pagina respondisse is, qui pag. 158 infima est apud Hot. (ad cap. 35.) sic in editione 1. scriptus: *sed milonis quoque notam audaciam * uetiar e p. * utile uisum est sciret * ne unquam potuit utram sententiam * damnatum autem opera maxima Appii Claudii * pronuntiatum est.* Quinque sunt utroque loco vacua spatia. Hic igitur capita versuum perisse suspicor. Ab hoc autem loco remota corruptelæ signa sunt, lectione interpolata, post Hot. Inter primam lacunam prioris loci et primam alterius interiecti sunt in edit. prima 24 versus; totidem sunt inter lacunam primam loci in argumento Cornelianæ p. 93 et primam alterius loci pag. 94; totidem inter primam lacunam adnotationis ad Pison. p. 121. (p. 591 Græv, *Hic cum* &c.) et primam adnotationis ad Pis. 2. p. 122. (*Ego in C. Rabirio* &c.)

7) ad Guar. Veron. p. 261 Fabr.

asteriscos posui.) Primo et quarto loco lacuna est; in secundo et tertio nihil deesse præter literam *m* ex Ciceronis codicibus scimus; contra in argumento orationis pro Scauro p. 132. sq. p. 1004. Gr. in edit. prima nullum est lacunæ signum, quum tamen apertum sit, excidisse aliquid, ut recte postea ab editoribus locus notatus sit, quem miror Heinrichium, V. Cl., ita interpolasse, ut verba quidem cohæreant, narratio non cohæreat. Nam quo spectent illa de Fausto et quam habuerint cum Scauri causa coniunctionem et ubi questus Faustus sit, et quid sibi velint abrupta illa *et ambulare cum trecentis armatis*, frustra quæres. Equidem multa hic desiderari arbitror. Sed alia oritur quæstio ex ordine commentariorum; nam in editionibus ante Aldum omnibus et in codd. (ut in Florentinis et Ambrosianis) primus est in orationem Pisonianam; sequitur ad Scaurianam, tum ad Milonianam, Cornelianas, orat. in toga candida; ultimo loco sunt commentarii ad Verrinas. Quo factum sit, ut tam præposterus ordo sit, cogitanti duplex coniectura oritur, ut aut eum, qui codicem scripsit, non ex uno codice, sed ex pluribus, prout in manus venissent, commentarios expressisse credam; (quod si est, perfacile alieni aliquid cum Asconianis coniungi potuit;) aut codicem discerptum fuisse et aut Poggium aut ante eum alium divulsas partes hoc modo coniunxisse; et potuit in hac ratione idem accidere, quod in superiori, ut cum Asconiano codice compingeretur aliud similis argumenti fragmentum. Non pos-

sum autem coniecturam meam premere, huiusmodi aliquo casu intercidisse folia quædam in commentario ad Cornelianas; nam et nimis abruptum est initium commentarii in secundam orationem, præscriptis tantum verbis Pro Cornelio, et nimis exiguus ipse commentarius, paulo plus quam unam Hotomani paginam implens, quum ad priorem orationem præter argumentum commune 12 paginæ sint; neque sane ipsa oratio brevis fuisse videtur, quum in duas quattuor dierum actionem contraxerit, neque rebus, de quibus adnotandum esset, caruisse, ut in qua Cicero contra Catulum, Hortensium, Metellum Pium contenderit [8]). Sed iam nimis diu hariolor de forma illius codicis. Vere autem Lagomarsinium iudicasse arbitror, nonnulla a Poggio ipso non recte descripta esse [9]); ipse se, quæ invenisset, *velociter* transscripsisse testatur [1]).

Ex codicis Poggiani apographo Asconii commentarii primum typis descripti sunt Venetiis a. 1477. [2]) cum Georgii Trapezuntii libro de artifi-

---

8) vid. p. 107. p. 973 Græv.

9) apud Bandin. II. p. 638.

1) in ep. ad. Guar. Ver. p. 261 Fabr.

2) cfr. Matt. Ann. Typogr. IV. P. 1 p. 375. Duo huius editionis exempla in bibliotheca regia Haun. sunt. In prima post plagularum indicem pagina hæc est inscriptio: *Q. Asconius Pedianus in senatu contra L. Pisonem.* In folii 55. pagina aversa infima subscriptum est: *Hæc est pars Q. A. pediani cura et diligentia pogii florentini viri litterassimi reperta in monasterio*

cio Ciceronianæ orationis pro Ligario et Antonii Luschi, Vicentini, oratoris clarissimi, inquisitione super XI orationes Ciceronis, atque Xiconis Polentoni argumentis super aliquot orationibus et invectivis Ciceronis. Extrema est epistola Hieronymi Squarzafici Alexandrini ad Antonium Serachum, archiepiscopum Corinthiensem et patriarchæ vicarium data Venetiis 4. Nonas Iunias 1477, in qua suo consilio hanc editionem institutam dicit.

Nihil aliud in hac editione actum esse, quam ut codicis Poggiani quasi imago repræsentaretur, ostendunt vacua spatia relicta totaque forma, qua descripti sunt commentarii; quo autem successu in hac re elaboratum sit, difficile est iudicare, et quid partim in apographo conficiendo, ex quo expressa editio est, peccatum sit, partim a typothetis erratum, discernere; ac tamen hæc editio nunc quidem unus est veræ lectionis in Asconianis investigandæ fons, ad quam proxime accedunt aliæ quædam. quæ eius scripturam fere repetierunt; quo si quis longius progredi voluerit, (et debet id velle, qui post hæc Asconium editurus est) is, si omnis spes de cod. Sangallensi reperiendo præcisa est, ad ipsius Poggii codicem confugiet; si ne eo quidem uti potuerit, tum demum alia apographa inter se con-

---

sancti galli prope constantiam XX millibus passuum & ab ipsius pogii exemplaribus a me A. Iu. transcripta ac Venetiis per Johannem Manthen de Gerretzem impressa. Tum sequitur Georgii liber.

tendet, ut ex horum aut omnium aut plurium consensu, rationibus subductis, quid in Poggiano sit, intelligat. Nam nunc quidem, nescio quo fato, accidit, ut Asconiana ita corrupta et interpolata circumferantur, ut nihil foedius viderim. De qua re dicam tantum, quantum res nostra postulat quantumque per subsidia, quæ ad manum sunt, licet, cætera editoribus Asconii relinquens. In proximis igitur post primam editionibus (tractavi autem ipse Iuntin. 1519. 8. eam, quæ prodiit Paris. ap. Petr. Vidoam 1520. fol. [3]), Aldin. 1522. 8.) eius editionis textus ita repetitus est, ut levia quædam emendandi tentamina fierent in erroribus apertissimis tollendis, quod ut in multis recte factum est, ita multi non minus aperti errores relicti sunt; quædam non recte mutata, quum edit. I. lectio aut verior esset, aut ad veritatem propius accederet; in his omnibus quid codicibus debeatur (nam alia quædam apographa ad manum editoribus esse *potuisse*, non nego,) quid coniecturæ, non constat; etsi plura sine dubio e coniectura ducta sunt. In locis gravius corruptis aut mancis interpolandi licentia grassata non est [4]). Ut autem

---

[3]) cura N. Beroaldi institutam, tradit Ebert n. 1273.

[4]) Multo igitur integriores sunt hæ editiones recentioribus, idque recte nuper in P. Vidoæ editione intellectum est; eadem tamen est eius ratio, quam cæterarum esse dixi, quod conferendo intellexi; id adnotavi, ne (quoniam etiam Ebert ad ed. 1477. expressam esse tradit,) nihil omnino ab editione prima differre credatur. Unum reperio in antiquis his editionibus ineptis-

quale hoc sit, appareat, ex Aldina editione, quæ et harum postrema est, et in qua ipse Franciscus Asulanus in præfat. se collatis exemplaribus Asconium multo eo, qui circumferretur, meliorem effecisse profitetur, subiiciam exempli loco, quicquid in argumento Cornelianæ aliter quam in ed. I. constitutum est. (p. 91. sq. Hot. 947. Græv.) Initio igitur ed. 1. *C. Pisone*, Ald. male *L. Pisone*, ex eo quod ita paulo post in ed. I. legitur; deinde in verbis *iustior pertinacior* asteriscus additus; paulo post ed. I. *ne quiuis*, Ald. *ne quis nisi*; (paulo rectius esset *ne qui*); tum ed. I. *in omnibus S. C. quibus aliquem*, Ald. male *quibus cum aliquem*; paulo post ed. I. *Corneli*, Ald. *Cornelii*; deinde ed. I. *ille Coss. qui*, Ald. *ille Cos. qui*, male utrumque; (legendum est *cum ille eos, qui*); tum ed. I. *intendebant manus*, Ald. *intentabant m.*, frustra; potius notandum hoc in lexicis ex huius ætatis scriptoribus; nam Tacitus quoque *manus alicui intendere* dixit Ann. IV, 3; paulo post ed. I. *cum Cornelius*, Ald. *Tum Cornelius*; deinde ed. I. *cum solutus*, Ald. *cum solutus esset*; tum ed. I. *et sine more pugnare*, Ald. *etsi nemo repugnare*; dende ed. I. *cum aut gra-*

---

simum additamentum, sed a ceteris, de quibus nunc loquor, interpolationibus diversissimum, id, quod p. 105. p. 968. Græv. p. 202 Sch. sustulit, Manutio iam suadente, Hotom., suum cod. secutus; neque in Græviano erat; verum ne in edit. 1. quidem, ne quis hic putet illos codd. proprii boni aliquid habere. Quis adiecerit, nescio; est in edit. Juntina, in ed. Vidoæ non est.

tiam, Ald. *tum gratiam*; paulo post ed. I. *cum plures*, Ald. *complures*; mox ed I. *cos.*, Ald. *coss.*; tum ed. I. *scripsit C. et P.*, Ald. *subscripsit C. et cum P.* deinde (pag. 93) ed. I. *effugierunt, profugierunt, cos.*, Ald. *effugerunt, profugerunt, coss.*; eadem pag. ed I. *sua tribunis permitteretur*, Ald. *si id t. p.* paulo post ed. I. *non uideo quo lectus*, Ald. longius a vera lectione: *non uideo quo si lectus*; statim ed. I. *in tribunitiam*, Ald. *tribunitiam*; tum (p. 94. Hot) ed. I. *operepretium*, Ald. *operæpretium*; mox ed I. *semetipsum* et *defendit duas actiones contulisse: cum in duas orationes appareat*, Ald. *semetipsam* et *defendisse*, cætera ut in ed. I. Ex his intelligi puto, quale sit mutationum genus. A lacunis manum abstinuerunt, non solum iis, quæ nunc adparent, sed aliis postea occultatis; nam p. 92. vocum *tollique ea re* in editionibus antiquis nullum vestigium, nec in ed. prima spatium vacuum est [5]); Manutius *tolli* aut *imminui* deesse notavit, Hot. tacite id quod nunc legitur, edidit; pag. autem 93. ubi nunc est: *etenim prope* &c., in edit. prima et proximis hæc sunt: *et cum prope tollebatur intercessio sua* (vel *si id*) *tribunis permitteretur: non poterat negare id factum esse. Is eo confugit* &c., quæ manca esse nemo non sentit, neque tamen recte

---

[5]) Huius generis lacunæ nullis spatiis indicatæ sine dubio in cod. Sangallensi fuerunt, scriptura non hiante; cæteræ quo modo ortæ sint, dixi ante; de his igitur multo minus sciri potest, quot fere vocum sint.

factum, quod suppresso eius rei indicio locus interpolatus pro integro postea editus est, ut opinor, primum a Manutio, qui lectionem interpolatam habet, nihil ipse adnotans. Postremo ubi nunc est, (pag. 94.) *confiteri reum* in edd. antiquis *reum* deest. Quod autem supra dixi, in his antiquis editionibus, quum quædam corrigerentur, alia, quæ non minus facile corrigi possent et sine temeritatis nota, relicta esse, in edit. Aldina pro *adiici erat* (p. 91. Hot.) retinetur ex ed. pr. *adiecerat* et paulo post (p. 92. H.) *potentissimi quique ex S. C.*, ubi, quemadmodum Manutius scribendum esse coniecerat, Hotom. tacite edidit *ex senatoribus;* debebat scribi *ex senatu* 6); pag. quoque 93. neque difficile

---

6) Non raro in codd. mss. *S. C.* pro *senatu* ab oscitantibus librariis subpositum est; nec aliud est mendum loci Taciti Hist. IV, 42, quem et olim et nuper miris modis defendere nonnulli studuerunt: *sponte ex S. C. adcusationem subisse iuvenis admodum;* imperatori delatorem quærenti sponte ex ipso senatu, quod foedissimum erat, se obtulerat Regulus; legendum est igitur: *sponte ex senatu.* Sed perversior est scriptura Livii 45, 15: *quibus filius quinquenni maior ex senatusconsulto esset;* nemo enim ex senatusconsulto filium habet; sed quæ tentant interpretes, violenta sunt. Cautum erat, ne id beneficium, quod in populo prolis augendæ studioso iis datum esset, qui filios haberent, alii adoptionis imagine consequerentur. Hanc sive legis sive potius edicti censorii sententiam certissima emendatione restituam: *quibus filio quinquenni*

erat nec audax scribere *ut ne clamor quidem ullus ab advocatis eius oriretur*, ubi *illius* pro *ullus* ab omnibus etiam recentioribus retinetur. Sed de his editionibus satis dictum est, si addidero in Aldina, in qua ordinem commentariorum mutatum esse dixi, recte Scaurianam Pisonianæ præpositam esse; quod cur Hotomanus, (nam apud Manutium verus ordo est) commutaverit, nescio.

Antiquis his editionibus successit Parisiensis apud Io. Lodoicum Tiletanum emissa a. 1536 [7]); nam Melanchthon quid effecerit, nescio; ad illam spectant, quæ Hotomanus in præfat. (fol. I. verso) scribit: *Fuere autem qui Asconium emendare conati sunt primum Budæus et Alvarus quidam, ut testatur Tiletanus Parisiensis typographus, homo non indoctus; quos secuti sunt magna cum laude duo ætatis nostræ doctissimi et clarissimi viri,*

---

maior ex SE NATUS *esset; ex se natus* factum *senatus*, deinde *S. C.* Aliter *senatus* vocabulum corruptum apud Cic. in Vat. 15, 36; ubi quod ex Garatonii coniectura Orellius edidit: *qui nunquam a republica summi consilii gubernationem auferre conatus est*, dici non potest nam nunquam ipsa respublica gubernat summum consilium, neque sane id in mentem venire cuiquam poterat, nolle summi consilii gubernationem in rep. esse; sed utrum ea penes senatum, an penes populum in comitiis esset, certari poterat; Cicero hanc quidem populum nunquam appetivisse dicit; in codd. scriptura *qui nunquam aut summi consilii gubernationem* latet vera lectio: *qui nunquam a senatu summi consilii* &c.

7) Vid. Mattair. Ann. Typogr. II. p. 844. Ebert. Bi-

Petrus Danesius et Paulus Manutius; nam quod Fabricius [8] negat se vidisse, quæ ad illustrandum Asconium Budæus, Alvarus Petrusque Danesius contulerint, ea in illa editione contineri satis mihi videor intelligere, etsi ipse eam non vidi, non ea sola ductus ratione, quod nihil seorsum ab illis de hoc scriptore editum reperio, (Alvarus ne quis sit quidem, satis scio; plures enim fuerunt, quorum studia et tempora cum hac opera non congruere videntur;) sed quod ipse Hotomanus in Alvaro et Budæo Tiletani testimonio utitur, quod, si seorsum edita illa fuissent, non fecisset; ne quis enim putet edita fuisse, sed Hotomano non lecta, utitur Hotomanus Budæi coniecturis, videlicet ex Tiletani editione sumptis. Tiletanus ex margine libri a Budæo usurpati duxisse videtur. Sed ad eandem editionem pertinet Danesii commemoratio, cuius emendationibus P. Manutius usus est [9]); Hotomanus autem et singulas emendationes

---

bliogr. Lexic. 1. n. 1274. Est quædam tituli in ipsis exemplaribus discrepantia. Jo. Lodoicum editorem ponit Ebert, et ex præfatione quædam sub eius nomine citat Maius præf. alt. ad Cic. Oratt. Fragm. p. 24 (XXXII Beier.) Is nimirum est ipse Tilatenus, ut ex Hotomani verbis adparet. Ebert e codd. et coniectura emendatam editionem scribit.

8) Bibl. Lat. II. p. 68 Ern.

9) Manut. in præf. ad Ascon. *Non est dissimulandum*, inquit, *quid Petro Danesio viro doctissimo et humanissimo debeamus: a quo sunt omnia fere, quæ in Verrinarum accusationum commentariis emendavimus.*

commemorat et Danesii codicem, quæ non ex Manutii, (in cuius notis nulla Danesii mentio est), sed ex Tiletani editione duxit; hunc autem in Asconio edendo Danesium adiuvisse adparet. Usi autem hi emendatores sunt non codd., sed, quod solum poterant, quum illi, si quos omnino habuerunt, ab edit. prima non dicreparent, coniectura. Persæpe enim ubi in editione prima lectio corruptissima est, apud Hotomanum est lectio probabilis, specie certe, adiecta nota, qua *Danesii vetus*, *Budæi vetus* hoc vel hoc habere dicatur [1]); quæ autem ita notantur, eadem semper in edit. prima sunt; cuius lectionem a Danesio et Budæo coniectura emendatam, sed tamen adnotatam adparet. Ne illud quidem certum mihi est, habuisse illos apographa Poggiana, etsi non prorsus negem; *Budæi* enim et *Danesii veterem codicem* commemorari nihilo minus ab Hotomano potuisse, mox adparebit. Certe, ut dixi, graviora e codd. non sunt. Stetisse autem intra Verrinas operam Budæi et Danesii, tum Manutii verba, tum id persuadet, quod in ceterarum orationum

---

[1]) *Danesii vetus* citatur in not. ad p. 4. 12. 14. 18. 32. 33. 34. 35. 39. 40. 42. 63. 64. 69. Danesii coniecturæ ad p. 64 et 66; *Budæi vetus* ad p. 8. 22. 30. 42. 49. Ad p. 12 (ad notam de quadruplatoribus ad Cic. Divin. 7.) hæc est Hotomani nota: *pro consuetudine*] *Lacunam Aldini codicis hoc verbo replevit Budæus aut Alvarus.* Nec sæpius apud Hotomanum Alvari nomen est. P. 89. Hot. finitur commentarius in Verrinas.

commentariis Hotomanus nusquam aut Budæi aut Dasneii cod. commemoravit. Quædam ex his recte, alia secus mutata, quædam, ut opinor, non in notis commemorata, etsi hæc in Manutii editione dignoscere ab iis, quæ fortasse Manutius ipse mutavit, non possum. Uno quidem loco multa Danesius de suo interpolavit [2]). Sed hæc et minora sunt et ad eam partem spectant commentariorum, quam non magni faciendam postea ostendemus. Proxima est editio P. Manutii Venet. 1547. 12, cum eius scholiis, cuius editionis Sigonium participem facit Robortellus, recusante ipso Sigonio, cui fides habenda esse videtur [3]). Vellem hanc editionem non reprehendere possem; magni enim facio, ac potius amo Manutium; sed, quoniam aperte dicendum est, multo hic interpolatior est Asconii lectio, quam in superioribus editionibus, et ita interpolata, ut incautos necessario decipiat. Neque solum enim in Verrinarum commentariis Danesii coniecturas secutum esse se profitetur, sed in cæteris quoque tacite aliqua mutasse, quum

---

2) p. 79. ad Lib. 1, 56. sex versus a *Sed quæritur* ad *ab integro novam efficere* non sunt in editionibus superiobus, suppleti a Danesio, ut Hotom. putat, ex antiquo codice restituti, ut ego dico, ex ingenio.

3) Robort. Adnotatt. Lib. 1, 34 p. 58 Grut. Sigon. Emendatt. 1, c. 17. p. 185 Grut. *Quod ipsum* (me socium Manutio fuisse) *cum nec Manutii, nec meo coargui testimonio possit, nisi forte coniecturas nescio quas duas totius Asconii emendationes putat, unde ille acceperit, nescio.*

aliorum in scholiis rationem redderet [4]). Neque hæc levia sunt, sed sæpe iis, quæ posuit, graviora; et sunt in his, ut facile a Manutio exspectes, non pauca recte et optime emendata, quæ tamen adnotari melius fuisset, alia autem ex eo genere, quo locis mancis et aperte corruptis falsa quædam integritatis species inducitur. Quod ne gravius de præclaro homine dixisse videar, quamquam iam supra duo exempla posui [5]), subiiciam hoc loco tertium. Locus de C. Rabirio (p. 122. Hot. ad Pis. 2.), cuius paulo ante mentio a me facta est, in ed. 1. sic scribitur: *Possit aliquis credere * Ciceronem quidem dicat XL annis factum esse ut ex S. C. * versus L. appulcium saturninum tribunum plebis numerentur. C. enim Mario Cn. * coss. * sed hic non subtilis computatio annorum facta est verum summatim tempus comprehensum est ut proinde accipere: ac si vixerit prope XL annis hæc consuetudo in ipsius * Itaque idem Cicero in ea quoque quam habuit in Catilinam in senatu ait * Octavus decimus dies est posteaquam factum S. C. ut uiderent coss. ne quid reipublici detrimenti caperet: dixit vigesimum diem habere S. C. tanquam* * Facile omnes comparando intelligent, quantum sibi Manutius, cuius lectio in editionibus circumfertur, in priore et graviore huius adnotationis parte

---

4) in præf. *Reliqua*, inquit, *sunt a nobis, quibus de singulis meminisse, non eius esset, qui ab inani ostentatione abesset: paucula quædam in scholiis attigimus.*

5) p. 30. not. 6. p. 38.

permiserit, quam ut vestigia ostendunt, Asconius longe aliter scripserat; nam posteriorem non male emendavit, modo adnotasset. Nec Manutio dignum est, quod, quum in argumento Milonianæ vers. fin. (p. 149. H.) in edit. prima scriptum esset: *Sortitio deinde iudicum a primo die facta est,* hoc non intellecto, nihil adnotans edidit *a quæsitore facta est;* quamquam non multo melius Hotomanus *ut primo die facta est.* A primo die, id est, ut Columella loquitur, *primo mane* coepta est fieri sortitio iudicum, ita ut intra secundam horam accusatores dicere inciperent; eodem modo dici *primo die, prima nocte, primo mane, primo anno* (apud Collum. X, 190), vix admonendum est [6]).

Singulare quoddam iuterpolationis genus illi ætati facilius condonandum, sed tamen notandum in eo positum est, quod in locis Ciceronis ab Asconio aut Verrinarum commentatore (ut iam hic ex iis, quæ postea dicentur, hanc appellationem præcipiam,) laudatis, si quid in lectione Asconii codicis a Ciceronis vulgata scriptura discrepabat, eius rei vestigium, ubi quidem fieri poterat, tollebatur, quo

---

6) Locus præterea mala distinctione laborat, verbis *euntibus ad tabellam ferendam* (*iudicibus* non est in edit. prima,) ad hanc. sententiam tractis, quasi ad tabellam ferendam ierint, nondum sortitione facta. Scribendum est: *et dolorem suum ostenderet euntibus ad tabellam ferendam. Postero die, qui fuit a. d. VI. Idus Apriles* &c. cfr. paulo post; nam hic quoque interpolatio versata est.

factum est, ut recentiores Ciceronis editores et falso Asconii auctoritate uterentur et contra eam inutiliter disputarent; ne hic quidem erroris plane expers est Manutius, etsi non primus hac in re lapsus est; is (ut hoc utar) in adnotatione ea, de qua nuper recte iudicavit Wunder præf. ad cod. Erfurt. p. XLV, (ad Pison. 4. p. 124) primus P. Clodii nomen addidit [7]). Venio nunc ad eum, quem

[7]) Adiiciam quædam huius generis exempla ex Verrinarum commentariis. Act. 1, 8, 21. Asconius *hominis* omittere dicitur; sed habet edit. prima et Aldina. Ibd. 10, 30 in ed. 1. Asconii et Ald. est *oportet*, ut apud Stephanum et Lambinum, pro quo nunc in Ciceronis oratione glossa est *necesse est*. Ibd. 17. 51. voces *qui sis*, quas omnes fere codd. omittunt, in commentariorum ed. 1. sunt, corruptæ tamen; *qui sis rector qui loco in tribunalibus*, in quibus latet *qui sis*] prætor; *quo loco*] in tribunalibus. Iam in Aldina deleta illa sunt. Sed gravissimum est huius generis exemplum Lib. 1, 15, 39. ubi vulgo Ciceronis verba sic scribuntur: *hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum non modo non exsistit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris;* verum certe exsistit et oritur, antequam opprimit; perversa est igitur sententia; ne quis enim *existit* putet esse *adparet*, primum ita dici hoc quidem loco *existit* vix potest; deinde inanis est sententia, occulta non adparere; postremo propter *verum etiam* hæc dici absolute non possunt, sed ad *antequam* pertinent. Legendum igitur conieceram *non modo exsistit*; eamque lectionem reperi postea in ed. 1 Asconii et Aldina. Eodem libro 42, 109. nunc editur tanquam Asconii quoque auctoritate

vulgo putant optime in fragmentis Asconianis versatum esse, ego autem pessime ea interpolasse dico, Fr. Hotomanum, qui Asconii commentarios edidit Lugduni 1551. 8.

Is in præfatione ea scripsit, ut pæne iniquum videatur huiusmodi aliquid de eo suspicari; nam reprehensa aliorum interpolandi licentia, "Hanc igitur illorum audaciam," inquit, "prorsus fugiendam putavimus, et descriptum ex nostro codice exemplar imprimendum Typographo tradidimus: ita tamen ut si quid uspiam corruptum aliquis eorum quos nominavimus emendasset, id quemadmodum factum esset, extremo volumine notaremus" [8]).

---

firmatum: *is omnia, quæ ante acta sunt, rata esse non patietur?* Sed hæc scriptura per se improbanda (quum enim dicitur: *is omnia — non patietur?* significatur: *is — omnia evertet?* hic autem necessario dicendum erat *non omnia — patietur?* ut significaretur, nihil tolli debere; affirmatio enim hæc est: *omnia — patietur*; quæritur, possitne quisquam hoc *non* facere; id est: *non omnia — patietur?*) — hæc, inquam, lectio in Asconii ed. 1. non est, ubi scribitur, *rata esse patietur*, eodemque modo in Aldina; restituenda est igitur Prisciani et Steph. Lambinique lectio *is non omnia — rata esse patietur?* Ibd. 56, 147. ex Asconio adfertur *manupretii machinæ;* vere Orellius unius tantum machinæ hoc loco mentionem esse ait; et est ita in Asconii edit. 1. et Ald. corrupta scriptura: *manu prædii machina dicitur: ubi* &c. (id est *manupretii machina*] *manupretium dicitur, ubi*). In his multisque aliis utrum Danesius an Manutius mutationis auctor sit, ignoro.

8) p. 161. sq. exstant *Fr. Hotomani expositiones suæ in*

Verum ego quo animo hæc scripserit, intelligere non possum. Longissime enim a veritate abhorrent [9]). Primum enim non ex cod., sed ex Manutii editione suam ita descripsit, ut quicquid ibi tacite additum correctumve esset, fere ubique retineret; quum autem, quæ alii a se emendata esse notaverant, sequeretur, de suo cod. taceret, veterem lectionem autem in nota poneret, præposito *Budœi vetus* aut *Danesii vetus* aut *Manutii vetus*, ut facile quis credat et cæteras editiones et Hotomani codd. id habere, quod in textu sit, quum tamen attendenti facile appareat, si vel alium cod. habuisset, quam apographum Poggianum, non omnes illorum coniecturas cum in eo reperturum fuisse. Et in hac re tantus est error, ut Manutius omnino codice manuscripto usus non sit, ut illa nota *Ma-*

Asconium operæ et diligentiæ, quarum hoc est initium: "Quæ ex codice correximus, lector ex collatione perspiciet: quæ sunt ex ingenio, infra descripsimus.

9) Erunt, qui mirentur, tam severe a me reprehendi Hotomanum; quum enim pæne solus ex iurisconsultis ad Ciceronem commentatus esset, philologis in rebus ad ius Rom. pertinentibus dux exstisit magnamque auctoritatem est consecutus. Et erat in Hotomano rectum et non inelegans ingenium; subtilitatem, acumen, accuratam eruditionem sæpe desideres; neque Scaligerum huius iudicii auctorem citabo, sed nostræ ætatis clarissimos viros, Savignium, iurisconsultum, in commentat. de iure Italico p. 45. et Heinrichium, philologum, ad Cic. Oratt. part. inedit. p. 85. et in ind. p. 107. Non poteram de Asconio inveteratum errorem relinquere.

nutii vetus nihil aliud significet, quam veterem lectionem a Manutio emendatam; idemne in Budæo et Danesio fecerit, nescio [1]). Deinde ipse Hotomanus multa mutavit; quod, ubi in notis lectorem admonuit, non reprehenderem, nisi et nimis audacter et nimis leviter in emendando et lacunis explendis versatus esset, cuius rei exempla iam in iis, quæ supra aliquot locis posui, sunt et addi permulta possunt, ut statim p. 7 ad Div. 4 quum in ed. prima esset *quod siculi qui antea * publice testimonium dixerant,* Hotom. edidit: *quod Siculi, qui antea legati publice, testimonium dixerant,* quum apertum sit, commentatorem hoc fere dixisse, *quod Siculi, qui antea in neminem publice testimonium dixerant,* &c. Cfr. Cic. in Verr. II, 3, 8. Sed pro omnibus exemplis esse possunt bellæ illæ coloniæ Italicæ, quas in verum Asconii comment. ad Pis. p. 121 p. 591 Græv. intrusit, nuper demum a Savignio ex orbe Romano sublatae. Et ut supra in alio loco vidimus, non accurate veterem lectionem indicavit; neque enim tres tantum voces addidit, sed plura mutavit, quum in codd. et ed. I. sit *fuerunt itaque aliæ latinorum essent* [2]). Sed errores non acerbe insector; illud excusari nullo modo potest, quod qui illa professus esset, Asconii verba pæne innumerabilibus locis tacite mutavit et interpolavit,

---

1) Semel in scholio ad p. 84. Manutius codicem *haud satis antiquum*, tamen manuscriptum, Bononiæ a se visum dicit.

2) Savigny de iure Italico p. 44 sq.

ita ut omnes deciperentur. Non utar levibus exemplis; graves corruptelas ex veris Asconii commentariis ponam. Ad Cornel. I. p. 96. (p. 957. Græv.) edidit *eaque pactio ab utroque iuramento firmata est;* vocabuli infimæ ætatis *iuramento* nullum est in superioribus edd. vestigium. Ad orat. in T. C. p. 113. (p. 980 Gr. p. 523 Or.) scripsit: *quod, cum sint commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum, commentarium tamen huius defensionis aut principium nullum inveniam. Itaque puto non defendisse, sed tantum de defendendo cogitasse: quod per hæc ipsa negari non potest. Hoc autem iudicio absolutus est Catilina, infamia iudicum. Ut et Clodius infamis fuerit, quippe qui prævaricatus est.* In nota autem quasi gloriabundus, "Ne esset, "inquit," obscurum, quid hoc loco velit Asconius, *qui fere totus in aliis libris desiderabatur,* adscribam Fabri Quintiliani locum." Scilicet ed. 1. ita habet: *quod cum sint commentarii Ciceronis earum etiam defensionum, commentarium aut principium ita qui iudicio absolutus est catilina ut Clodius infamis fuerit prævaricatus esset,* et ita cæteræ, nisi quod pro *qui* est *quod*, pro *esset* autem *est* et asteriscus additus; Hotomanus ex ep. ad Att. 1, 2. supplevit [3]). Ad eand. orat. p. 114. (p. 983. Gr. p. 524. Or.) edidit: *Paulo ante*

[3]) Lepidus est Robortellus, qui hunc locum integrum esse putat Adnott. II, 4. p. 67, nisi quod scribit *quod prævaricatus est.* In his extremis legendum: *infamis fuerit prævaricatus esse,* de qua constructione infra dicam.

diximus, Catilinam, cum de provincia Africa decederet, petiturus consulatum, et legati Afri questi de eo in senatu fuissent, graves multas sententias de eo dictas esse. Itaque quum professus deinde esset &c., in quibus ne constructio quidem verborum constat; sunt enim ab Hotomano inepte suppleta ex pag. 111. (p. 979 Gr. p. 522 Or.), quum in edit. prima esset: *questi de eo in senatu graviter pervenissent: professus deinde est* &c.; in quibus aperta est lacuna non paucorum verborum, nullo quidem vacuo spatio notata. P. 143. (argum. Mil. p. 776. Gr.) apud Hotomanum hæc leguntur: *concionem enim ei post aliquot dies dedit M. Celius Tribunus pl. et Manilius Canianus eius collega: ipsiusque causam etiam ad populum probabant. Dicebant utrique Miloni a Clodio factas esse insidias.* Nihil ineptius duorum tribunorum commemoratione, quasi unus concionem dare non potuerit; sed hoc quoque apud Hotomanum natum est; nam ed. 1 et cæteræ: *contionem: et post aliquot dies dedit M. Celius. tri. plebis acci. ipse etiam causam etiam ad populum dicebant. uterque Miloni* &c. [4]). Interpolavit ex pag. 146 (p. 779 Græv.) ubi in ed. 1 est *cecilius tri. pl. & Manilius Camanus.* Nam quod p. 143 infima (p. 778 Græv.) exstat *Manilius Canianus eius collega*, id quoque Hotomani est, quum in ed. 1 et superioribus esset:

---

4) Locus sic restituendus esse videtur: *Concionem etiam post aliquot dies dedit M. Cœlius tr. plebis atque ipse etiam causam egit ad populum. Dicebat uterque* &c.

P. Clodii quoque familiam et comitum eius postulavit. eodem tempore Cecilius familiam Hipsei & Q, pompei postulavit * *Affuerunt* &c., ut, quodnam nomen exciderit, plane incertum sit. P. 149 (in argum. Milon. p. 781 Gr.) apud Hotom. est: *euntibus ad tabellam ferendam postero die iudicibus, cui* (err. typ. pro *qui*) *fuit iudicii primus ad III. Idus apr.*, mire profecto; nam quintus et extremus hic fuit iudicii dies, ut satis apparet ex ordine iudicii ab ipso Asconio descripto p. 148 (p. 780 Gr.); verum ne hoc quidem vetus est mendum; ed. 1 et omnes ante Hotom. *qui fuit ad* (ed. est *a. d.*) *III. Id. Apr.* corrupta, ut videtur, numeri nota. Sed satis puto expositum esse, quæ fuerit Hotomani in Asconii commentariis edendis ratio. Ac tamen hæc editio eam consecuta est auctoritatem, ut omnes eam probarent et sequerentur; quemadmodum autem secuti sint, non possum planius ostendere, quam si hæc omnia, quæ perversissime ab Hotomano interpolata esse docui, quorum multa alia similia sunt, in omnibus, quæ secutæ sunt, editionibus ita legi dixero, ut ad nullum horum locorum quidquam adnotatum sit [5]). De

---

[5]) Quam statim deceperit homines Hotomani falsa fidei et religionis in Asconio edendo professio, exemplo est C. Sigonius, qui in extrema Emendationum pagina (346. in Vol. II. Grut. Fac. Art.) suas et Robortelli de locis aliquot Asconianis coniecturas ad lectiones edit. Hotomanianœ, ab Achille Statio sibi missas, tanquam ad certissimam normam exigit. -Ex re-

cæteris autem, quæ in Asconianis tentata sunt, brevius dicam. Quæ circa idem tempus, quo Hotomanus Asconium edidit, a Fr. Robortello in Adnotationum libris, et a C. Sigonio in Emendationum de locis Asconianis exposita sunt, non magni sunt momenti; miror tamen nullam eorum ab editoribus Asconii habitam esse rationem. Alia nec omnino negligenda attulit Sigonius ad commentarios Asconii orationum deperditarum emendandos in Ciceronis fragmentis edendis. Patricius tantum fragmenta ipsa attigit. Qui autem omnes Asconii commentarios post Hotomanum ediderunt, ii omnes eius textum repetiverunt, hic illic mutatum, raro in melius; ex quibus primus est T. Popma Frisius (Colon. 1578. 12). Is in loco argum. Cornel. p. 93 Hot. edidit *quod ex S. C.* (pro *deinde quod ex S. C.*) et *reum decrevisset* (pro *recreavisset*), quibus mutationibus quid se consecutum putarit, nescio; paulo autem post: *Res acta est magna exspectatione. Ergo Cornelius perterritus Manilii exitu paucos ante milites in iudicium adhibuit, ut ne clamor quidem* &c., quo nihil magis ridiculum esse potest. In editione commentariorum variorum Coloniæ Agrippinæ 1621 apud Hierat emissa Asco-

---

centioribus vid. Garat. ad argum. Divin. p. 83. Haun. Habuit tamen Hotomanus codicem, sed quæ ex eo adfert non multa, ita cum lectionibus edit. primæ consentiunt, aut ita leviter ab iis discrepant, ut apertum sit, esse ex eo genere, de quo supra dixi, apographorum Poggianorum.

nii commentarii ad Hotomani editionem expressi esse videntur; (in præfat. Hierati nomine scripta Manutius, Hotomanus, Popma de Asconio præ cæteris bene meriti iudicantur); sunt tamen quædam mutata, ut in extrema not. ad Milon. (p. 158 H. ad c. 35 Gr.) hic primum reperio scriptum: *Sed Milonis quoque notam audaciam vindicare P. R. utile visum est* &c., quum in superioribus editionibus lacunæ relictæ sint, quæ sunt in edit 1 [6]). Secutæ sunt editiones apud Haack. Lugd. Bat. 1644 et 1675. 12, in quibus commentariis subiectæ sunt notæ variorum, sine ullo delectu aut certo consilio corrasæ [7]). In ipsis commentariis negligenter admodum descriptis nihil est novi præter temerarias interpolationes locorum nonnullorum, ut in commentario Cornelianæ locus mancus et corruptus de tribunatu Manilii [8]), (p. 97 H. p. 958 Gr.) ita legitur: *quod summam remp. læsit, id ab ipso*

---

6) vide supra p. 31. not. Bipontini Velleii Paterculi editores ad II, 48. legendum putant *avertere perutile*. In literis *ueti* latet infinitivi passivi terminatio corrupta; cæteræ literæ melius iungendæ: *a rep.* Fuisse videtur *prohiberi a rep.*

7) ad Verrinarum commentarios magna pars Hotomani commentarii in ipsas orationes repetita est; ad commentarium Pisonianæ tres omnino sunt notæ; Jacobi Cruquii notæ ad Asconium omnino non pertinent.

8) in ed. I. sic legitur: *quod summa respublica non hæsit: sed ab illo ipso tr. abiectum est bonum autem quod summa respu. manet in vestri ordina * dis * fuit.*

tribuno abiectum est, bonum autem in summa rep. manet, reliquis omissis. In eodem commentario locum de more comitiorum (p. 101 H. p. 962 Gr.) primum in his edd. ita interpolatum reperio, ut nunc inter fragmenta Ciceronis editur (Sch. XVI, II. p. 22. [9]). Harum mutationum quis sit auctor, nescio, nisi quod in coniecturam incertam me induxerunt verba quædam Jac. Gronovii, ut pæne suspicer a. Jo. Fr. Gronovio eas profectas esse [1]), et cum edit. prioris Haackianæ curatore communicatas. Editio, quæ Th. Crenii nomen præfert (Lugd. Bat. 1698), est ipsa altera Haackiana, cui bibliopola novum titulum et præfat. Manutii præposuit, Thomæque Crenii notas, ad Asconium emendandum prorsus inutiles et in rebus notis et huc nihil pertinentibus verbosas, post indicem adiecit. Grævius denique, nisi quod codicis sui lectiones hic

9) Est alia hoc loco mutatio facta, ut puto, a. P. Manutio, vix probanda. Nam in edit. I. ita scriptum est: *et si qua sunt huius generis alia populus confusus ut semper alia: ita & in contione id peractis cum id solum superest* &c. Hinc aliqua ille in finem adnotationis reiecit, addito *enim*. At vix Asconius a verbis *his peractis* adnotationem orsus est.

1) Iac. Gron. præf. ad Cic. fol. 5. verso: "Asconio quidem quas emendationes satis probabiles passim admixtas et interpositas videbis, ex chirographo patris excerpsi, cuius illæ omnes sunt." In Gronoviana edit. utriusque loci eadem est lectio, atque in editt. Haackianis. Non potui a me impetrare, ut in Gronoviana edit. diligentius conferenda tempus perderem.

illic adnotavit, nullius fere, ut ex supra dictis intelligitur, usus, nihil ad Asconium curæ contulit; de interpolationibus superiorum ne semel quidem monuit; expressit autem commentarios non ex ipsa Hotomani editione, sed ex collectione aliqua commentariorum variorum, non illa, quam commemoravi a. 1621, sed alia ex ea nonnullis mutatis ducta. Nam quum in edit. a. 1621 nota ad Lib. 1. Act. II. in Verr. c. 4. (p. 49. Hot.) hoc modo mutilata esset: *nam Marcellus donavit, quæ victis Siculis ademerant Poeni* (exciderunt post *victis* verba *Syracusis asportare iure belli potuerat; Africanus victa Carthagine reportavit, quæ victis*), eodem modo in edit. Græviana scripta est; ad eundem librum c. 19 (p. 60 H.) in ed. 1621. legitur *ex ærario* pro *vel ærario*, isque error in Græviana repetitus est. Sed ad orat. in Pison. init. (p. 121 H. p. 591. Gr.) in adnotatione illa *Hic quoque dicit* &c. in ed. 1621 retinetur corrupta ed. 1. lectio; in Græviana receptæ sunt coniecturæ Manutii [2]).

De Schütziana Asconii editione nihil dicerem, nisi eam nunc in plurimorum manibus esse scirem; dico igitur, eam ex sola Græviana ita esse descriptam, ut nihil negligentius esse possit, cuius rei

---

[2]) Videor mihi apud Orellium legisse, Grævium variorum commentarios ad orationes exscribendos curasse ad editionem Colon. Agripp. 1685. Ea ego uti non potui; sed tamen ex hac etiam Asconiana descripta puto.

unum satis erit documentum demonstrasse, quod in commentario ad orationem pro Milone ad c. 14 adnotationem, quæ in Grævii edit. viginti quinque versuum est, pertinentem ad verba: *Hæc istam Appiam, monumentum nominis sui*, nullo relicto vestigio omisit. Universe autem admonendi sunt, qui his editionibus, in quibus Ciceronis verbis Asconii commentarii subiecti sunt, utuntur, in commentariis ita discerpendis necessario multa, quæ ad eorum formam externam pertinerent, obliterata esse, de qua re dicam paulo post.

Adparet, opinor, quanta fuerit hominum in Asconianis fragmentis tractandis partim negligentia, partim audacia et temeritas, qui interdum plane obliti esse videntur, se in vetere scripto versari. Ideo autem tam multa de hac re dixi, primum ut intelligatur, quum ipsi commentarii tam foedati ac corrupti circumferantur, non esse verosimile, quemquam ex iis, qui Asconiana attigerunt, de eorum genere ac ratione diligentius cogitasse; deinde ne mihi in reliqua disputatione interpolatarum editionum auctoritas obiiciatur; postremo ut, si quis post hæc studium ad hos commentarios edendos contulerit, is, spreta recentiorum levitate, firmiora editionis suæ fundamenta iaciat; idque Orellium, V. Cl., spero facturum, qui in Cic. op. vol. 1 præf. p. XV. se Asconii commentarios ad librorum fidem editurum promisit; non quo coniecturam exclusam velim, quam ipse iam sæpe in his fragmentis tentavi, sed ut ea ad codicis unici vestigia dirigatur.

III.

Sed quoniam de iis, quæ ad Asconii commentarios pertinent, diximus, de ipsis commentariis deinceps dicendum erit. In quo ante omnia constituendum erit, quales in Ciceronis orationes commentarios scribi potuisse Claudii aut Neronis tempore ratio persuadeat. Nam in quinti decimi seculi et sexti decimi hominibus non admodum mirandum est, si, quum Donati aliorumque commentarios non ita multum suorum dissimiles viderent, neglecto temporum discrimine idem commentandi genus sua opinione ad primum post Christum natum seculum et Claudii ætatis grammaticos transtulerunt, putaruntque tum in Ciceronis scriptis verba verborumque constructiones ritus institutaque perpetua enarratione eguisse; in recentioribus hominibus esset id profecto mirandum, si quem præter Maium sciremus ad hoc ipsum animum intendisse. Atque fuisse eo tempore commentarios grammaticorum in veteres scriptores Latinos, novimus; qui primum ad poetas fere pertinebant; (nam eorum tantum enarrationem Grammaticis propositam fuisse, scimus [3]); deinde multo magis in argumento rebusque, mythis, historiis explicandis et in iudicio de virtutibus poematum interponendo versabantur, quam in oratione et ritibus. Ex his enim nihil obscurum esse poterat præter antiquissimi et remotissimi temporis instituta, quæ erudito lectori non satis erat, quemad-

---

3) Quintil. 1, 4, 2.

modum a poeta posita essent, intelligere, nisi accuratius ex historia rerum nosset, et verba locutionesque ab usu remotas et ex antiquioris sermonis cognitione explicandas; horum aliqua erant apud antiquos Latinorum poetas; apud recentiores nulla fuissent, nisi ea fuisset Augusti ætate poesis Latinæ ratio, ut multi studiose docta et obscura sectarentur. Prosæ autem orationis scripta Ciceronianæ ætatis imperatorum primorum temporibus huiusmodi enarrationem adeo non desiderabant, ut ne reciperent quidem; eadem enim erant fere instituta et ritus, sermo plane idem [4]). Et erant tamen ex his scriptis, in quibus post temporis spatium non ita magnum intelligendi et cum delectatione legendi adiumenta quærerentur; maxime orationes, quæ apud veteres in omni vitæ et reipublicæ parte quasi inhærentes, tot habebant rerum hominumque tum, cum habebantur, notorum, postea obscuratorum, significationes, ut ad eas expediendas minus periti in se non satis præsidii haberent, quum præsertim apud Romanos tanta incidisset universæ reipublicæ commutatio, ut superioris et posterioris ætatis quoddam quasi discidium factum esse vide-

---

4) sermonem dico, non sermonis formam. Multo autem minor linguæ Latinæ mutatio facta est proximis centum post Ciceronis mortem annis, quam aut Danicæ aut Germanicæ centum proximis annis; quæ enim lingua iam ad quandam quasi maturitatem pervenerit, in ea aliquamdiu multo pauciora mutari consentaneum est, quam in ea, quæ formetur et fingatur.

retur [5]). Hæc si ad Ciceronem transferimus, quis est, qui dubitet, quin Asconii, id est, Senecæ, Plinii, Quintiliani temporibus nemo in eius orationibus legendis verborum interpretem, rerum raro, sed tamen aliquando, historiæ non raro desideraverit? Quæ quum ita sint, nullos facile ab Asconio, nisi historicos, commentarios in Ciceronis orationes scriptos iudicare possumus [6]). Id, si quidem omnia, quæ sub eius nomine circumferuntur, eius sunt, non est ita. Sed si ostendero inter commentarios, qui Asconii appellantur, tantum interesse, ut ex iis alii plane ex eo genere sint, quod ab eo scribi potuisse diximus, alii scripti iis hominibus sint, qui Ciceronis neque verba neque sententias intelligerent, longeque alia rei publicæ privatæque forma uterentur, ultro omnes concedent, alteros ab Asconio

---

5) Non possum ex nostris oratoris exemplo uti; utar igitur Holbergii; quam multa sunt apud eum, quæ, quum optime verba intelligamus, tamen quo spectent, tum demum videamus, quum urbis nostræ formæ antiquæ, personarum, rerumque tum notarum, memoriam revocaverimus?

6) Equidem quum Asconium laudatum lego (ut laudatur a Maio præf. alt. ad Cic. fragm. p. 26. XXXIV. B.) quod mira brevitate et perspicuitate locos obscuros enucleaverit, et quod sensus grammaticos aperuerit, venit in mentem fabula nostratium de milite stulto, qui quum ex Holsatia redisset, magna cum admiratione narraverit, puerulos trium annorum ibi Germanice loqui. Certe non multo aliter sentiunt, qui doctrinæ laudem homini, ut ipsi putant, Augusto æquali tribuunt, quod Ciceronis verba intellexerit.

scriptos esse, alteros, in Verrinas orationes, ab homine longe diverso, et, ut postea facile intelligetur, extremæ ætatis. Et hoc quidem ipsum tam apertum est, ut longa disputatione egere post ea, quæ iam dicta sunt, non videatur; sed quoniam, quales sint hi commentarii, non solum cuius sint, scire volumus, exponemus de utroque genere accuratius, primum quidem de veris Asconii commentariis. Hos non Ciceronianis libris adiectos, sed per se editos fuisse, omnes, credo, concedunt; et adparet id satis in commentariis, quos ipsius Asconii esse significavi, ad Cornelianas, orat. in tog. cand., pro Scauro, in Pisonem, pro Milone; nam ipse in suo codice intervalla locorum Ciceronianorum indicavit, ut facilius in orationum codice inveniri possent; sententias quoque ipsas integras fere adponit, aut, de qua re agatur in loco Ciceroniano, breviter adnotat; pluresque locos in enarrando coniungit et suis verbis interponit [7]).

---

[7]) Exempla harum rerum adferre opus non est, quum ubique exstent. Sed quam inepte fecerint, qui commentarios ita connexos discerpere voluerunt, apparet vel ex eo, quod apud Grævium et Schutzium nonnulla orationis in toga candida fragmenta non inter fragmenta posita sunt, sed in commentario, a quo dissolvi non poterant, delitescunt; vid. Græv. p. 980. Schutz. (XVI, II.) p. 210 sq. cfr. Hot. p. 111. sq. Orell. (II, 1.) p. 522 sq. In orationibus autem editis fere omnia formæ externæ commentariorum vestigia in his edd. sublata esse, iam dixi; velut adnotat. ad Pison. c. 4. (p. 123. Hot.) ita in ed I. scribitur:

Sunt autem hi commentarii omnino historici, positi in iis rebus enarrandis, quæ in Ciceroniani temporis rebus minus vulgo nota Claudii ætate essent; ordo hic est, ut primum tempus habitæ orationis notet [8]), deinde argumentum exponat et, habendæ occasio quæ fuerit, enarret copiose, ita ut universus rerum actarum ordo ob oculos ponatur [9]), tum singulos locos, qui reconditi aliquid

---

Circa vers. a. primo cccxx. *Dicit de ludis compitaliciis quos Q. Metellus fieri vetuit. Facio iniuriam* &c. (falso traditur apud Asconium esse *magistros ludorum ludos*; ed I. cæteræque antiquæ *magnos ludos* habent; illud Manutii est.) Hinc duae notae factae, ut apud Græv. et Schütz. Quædam ex his iam Manutius et Hot. neglexerant, ut in hoc ipso loco spatii adnotationem. Sed iam aut in ipso cod. negligi aut a Poggio in describendo omitti coepta erant; nam in extrema parte commentarii ad Cornelianas cæteræ notæ (*statim*, *paulo post* &c.) rariores sunt, versuum aut rei, de qua agatur, notationes nullæ; in comment. ad orat. in tog. cand. unum relictum est vestigium (versus fin. *Dicit de malis civibus*).

8) Diligens est de hac re disputatio in argumento Pisonianæ.

9) Nullum omnino ad statum urbis proxime ante bella civilia et quotidianas turbas cognoscendas illustrius monumentum habemus, quam Asconii argumentum orationis pro Milone; Ciceronis enim ad Atticum circa hoc tempus duorum annorum nullæ sunt epistolæ; deinde in Cilicia aberat. Ad has argumenti narrationes pertinet locus Quintil. V, 10, 9. *et orationum Ciceronis velut thema ipse exponens Pedianus*, Argu-

habere videantur, declaret[1]), alios latius et ad universam rem ex annalibus eruendam digrediens (ut p. 100 p. 961. Gr. de sedibus senatorum in theatro), alios brevius, omnes curiose admodum[2]), ad extremum tum de causæ eventu exponat, tum etiam de earum rerum, quæ cum causa coniunctæ fuerint, ut in fine commentarii ad orat. pro Milone. In his autem omnibus ita versatur, ut facile adpareat, non solum ex iis, quæ fusius disputat, sed ex iis quoque, quæ breviter adnotat, peritissimum eum historiæ illorum temporum fuisse, quem ne minutissimæ quidem res fugerent, non obscurissimi homines; cuius rei si exempla afferre velim, toti commentarii transscribendi sint. Illud notandum puto, multa in his esse, quorum notitia non ita

---

mentum, *inquit*, tale est. Spalding, recentiorum Asconii editorum culpa, nihil quod cum his verbis compararet, reperiebat; in antiquioribus edd. in Scaurianæ et Milonianæ commentariis post temporis notationem hæc leguntur: *Argumentum hoc est*, (in Scaur. etiam apud Hot.), simillima iis, quæ alibi posuerat, *tale est*. In Cornelianæ et orat. in tog. cand. commentario hoc quoque sublatum (cfr. paulo ante not. 7).

1) in Scaur., Pison., Milon. post argumentum additur in ed. 1. ENARRATIO; in Cornel. et in tog. cand. omissum id est. In Ald. ubique positum *Initium expositionis*; apud Hotom. hoc retinetur in Corn. et Pison.; in cæteris est *enarratio*.

2) Curiositatis notabile exemplum p. 151. ad Milon. c. 6.

multo post Asconium perisse videatur, ut quæ de familiarum Romanarum cognationibus tradidit [3]); hæc enim historiæ pars, in liberis rebus publicis maximeque in aristocratia gravissima, sub imperatoribus multo minore cura tractabatur.

Habuit autem Asconius ad Ciceronianæ ætatis res cognoscendas, primum hominum, qui illis rebus interfuerant, ipsorum monumenta, ut Cæsaris in Dolabellam orationes [4]), Bruti pro Milone [5]) Lucceii in Catilinam [6]), Cominii in Cornelium [7]), ne ipsius Ciceronis causarum commentarios [8]) commemorem, deinde acta urbana, quibus ad seriem rerum in urbe gestarum intelligendam nullum præstantius adiumentum erat; eaque ipse tractabat, et, quæ volebat, excerpebat [9]). Scriptoribus autem

---

[3]) v. c. arg. Scaurianæ p. 132. de Mucia Pompeii et Scauri uxore, ad Cornel. p. 98. p. 959. Gr. de Cottis, ad Cornel. 95. p. 955. Gr. de Metellis.

[4]) p. 137. p. 1013. Gr.

[5]) p. 149. in arg. Mil. extr.

[6]) p. 116. p. 985 Gr. Eiusdem Lucceii nomen pag. eadem paulo ante reponendum esse viderunt Crevierius et Ernest. (Ind. hist. s. v. *L. Lucullus.*) quod nollem Orellium fugisset p. 525.

[7]) Argum. Cornel. ext. p. 94. ubi legendum esse: *Exstat oratio Cominii* (vulg. *hominis*) *accusatoris*, apertum est.

[8]) p. ad or. in T. C. p. 113. p. 980. Gr.

[9]) Arg. Scaur. init. p. 131. Arg. Milon. init. p. 141. ad Milon. c. 14. p. 153. c. 17. p. 155; sed præci-

rerum usus est maxime Sallustio, Livio [1]), Fenestella, hoc quidem sæpius, ut qui in rebus urbanis persequendis copiosus ac diligens fuisse videatur [2]). Nec tamen eum incaute sequitur, potiusque eius in temporum notatione aliisque rebus errores recte et accurata disputatione refellit [3]). Nec ab ipso Ci-

---

puus locus est ad Mil. c. 6. p. 151. *acta etiam totius illius temporis persecutus sum &c.*

1) p. 98. (p. 959. Gr.) p. 105. (p. 968. Gr.)

2) Quæ exstant Fenestellæ fragmenta (post Sallust. Haverc. II. p. 385.) pertinent fere ad res Romanas post Punica bella, nec sane videtur universam historiam Rom. annalibus complecti potuisse, quum in singulis rebus tam esset diligens, ut orationum Ciceronis habitarum tempora notaret et alia huius generis. Itaque quæ ad superiora tempora spectant, videntur mihi aut per excessum dicta aut in Epitomarum opere, a Diomede laudato, fuisse. Cfr. Heeren de font. Plutarchi p. 146. Insignis Fenestellæ iniuria fit a F. Rothio, qui in scripto Academico Monacensi (Bemerkungen über die Abhängigkeit unserer Bildung von der classischen Gelehrsamkeit p. 11.) fragmentum quoddam eius ex Fulgentio sumptum exemplum vitiosi dicendi generis ex optima ætate posuit. Quicquid fragmentorum apud solum Fulgentium est, suspectissimum vel potius supposititium esse, confecta res est; neque sane illa verba ex *Archaicis* (ignoto cæteris Fenestellæ opere) laudata Augusti tempore scribi potuerunt, nedum scripta sunt. Eiusdem Fulgentii auctoritate Tacito facetiarum liber tribuitur.

3) vid p. 111. et 112. (p. 980. Gr) Argum. Pison. p. 119. Argum. Mil. p. 141. Quo loco simpliciter Fe-

cerone dissentire et quod ab eo minus accurate positum erat, corrigere veritus est [4]). Si quid autem minutæ rei centum annis interiectis obscuratum erat, se nihil de ea re traditum reperisse, simpliciter fatetur [5]).

In antiquissima autem reipublicæ Rom. historia quam recte viderit Asconius, nunc existimare vix possumus [6]); mihi videtur, ut cæteri eius ætatis, iis, quæ ab annalium scriptoribus non ita antiquis tradita erant, contentus fuisse, nec ipse

---

nestellam laudat ad. Pis. init. p. 122 (p. 592. Gr.) rectius verba distinguenda et scribenda sunt: *Calventium aiunt eum appellatum.* (Hæc pertinent ad socerum Pisonis patris.) *Ipsius Pisonis*, (sic restituendum ex ed. I. lectione *sæpius Pisonis*, vulgatum *patris* a Manutio est;) *contra quem hæc oratio est*, *socerum R. A. N. Fenestella tradit.* Præter hos Asconius laudat *Atticum* p. 127, *L. Attium* p. 129, *Calvum* p. 118. *Ciceronis* libros 100, 110, 128, 140, L. (recte Popm. emendat *Jul.*) *Hyginum* p. 127, *Philodemum* p. 129, *Sempronium Tuditanum* p. 105, *Sisennam* p. 103, *Tironem* p. 155. *Valerium Ant.* p. 100, 127, *M. Varronem* p. 127, *orationes* quoque Antonio et Catilinæ falso adscriptas p. 118. Nomen scriptoris periit (ut postea ostendemus) p. 100.

4) ad Pison. init. p. 120. de Placentia.

5) p. 98. (959. Gr.) p. 116. (995 Gr. 525. Or.) ad Pison. c. 4. p. 123. ad eand. 11. p. 125. ad Milon. c. 14 p. 154. ibd. p. 155.

6) Ad hanc partem maxime spectare videtur laus a Wachsmuthio Asconio tributa Ält. Gesch. d. rom. St. p. 55.

subtilius de illis temporibus quæsisse [7]). Quod tamen eum Perizonius et Niebuhr reprehendunt, quod de sacratis legibus non satis perite a Cicerone dissenserit [8]), in eo non omnino adsentior. Quæ Perizonius adfert, admodum infirma sunt, qui illam appellationem legum sacratarum generalem putat, multasque et ante fuisse et post latas; etiam in aliorum populorum legibus id nomen usurpatum. Quod ut ego non nego [9]), ita nihil ad hanc rem pertinere dico. Nam quum Cicero scribit *leges sacratas ipsi sibi restituerent*, certas quasdam leges significat, eas, quas, quoties simpliciter apud scriptores Romanos sacratæ leges nominentur, intelligi contendo, de plebis iure sanctas; quæ una est causa, cur alii leges, alii legem commemorent [1]). Atque has ipsas Niebuhr Ciceronem recte iam ante fuisse significare iudicat, si eius sententiam percepi; in quo ut de ipsa re plane adsentior, iura quædam plebis more et legibus confirmata ante id tempus fuisse, ita singulares quasdam et proprio nomine adpellatas leges fuisse, easque Ciceroni notas, non adducor ut credam. Neque puto recte fieri, ut, quum in cæteris historiæ antiquæ partibus Ciceronem vulgatam suæ ætatis opinionem

---

7) vid ad Cornel. p. 105. p. 968. Gr. ad Pis. 22 p. 127.

8) ad Corn. loco modo laudato. Vid. Perizon. Animadvv. historic. p. 426. sq. Harl. Niebuhr Röm. Gesch. I. p. 474. ed. 3. (443. ed. 2).

9) Cfr. Drakenb. ad Liv. IV, 26, 3.

1) Liv. II, 33. Dion. Halic. VI, 89.

secutum dicamus, in una aliqua re subtilioris cognitionis vestigium inesse arbitremur. Mihi Cicero, qui in tota hac oratione popularis esse volebat, nihil aliud quam ambiguo verbo et quod in maius accipi posset significasse videtur, plebis iura aliqua iam ante fuisse eaque tum restituta et aucta legibusque sacratis confirmata esse; in quo sane ipse ab Asconio dissentio, qui Ciceronem aliter scripsisse putat. Est autem tota res eiusmodi, in qua, si erravit Asconius, cum Livio, et, ut opinor, cum Tuditano et Attico erraverit [2]). De recentiorum temporum historia dubitari non potest, quin Claudio et Nerone imperantibus certa tradi potuerint; voluisse autem Asconium, satis puto demonstratum.

---

2) Quod in eodem fragmento Ciceronis sequitur de 10 tribunis postero anno creatis, id Niebuhr (p. 686. ed. 3. p. 646. sq. ed. 2.) a Cicerone scriptum, sed falsum putat; rectius, opinor, Perizon. (l. c. p. 428.) numerum a librariis additum putat, qui illo omisso non intelligerent, quo spectarent illa *itaque auspicato postero anno* &c., quæ nihil novi continerent. Sed Cicero, quod seditione ut extra urbem fieret, priore anno extortum esset, id postero auspicato legitimis comitiis factum dicit. Hoc ita esse, patet ex Asconii adnotatione, qui, quum cætera a vulgari fama abhorrentia persequatur, de denario numero nihil dicit; quin aperte distinguit a Ciceronis sententia et eorum narrationem, qui statim plures creatos putabant et eorum, qui *anno proximo additos*. Cicero igitur id secutus est, quod Livius ex Pisone adfert (II, 58. cfr. Nieb. l. c.)

Scio quædam in his quoque rebus in Asconio reprehensa; sed in iis omnibus error est reprehendentium aut librariorum, non Asconii. A Corrado [3]) reprehensus est Asconius cum Plutarcho, quod Tulliam Ciceronis post mortem Pisonis Lentulo Dolabellæ nupsisse scribunt [4]). Sed quum horum testimonio accedat silentium Ciceronis, qui filiam Crassipedi desponsam sæpius, nuptam nusquam scribit, eas nuptias nunquam factas arbitror. Reprehensus est ab eodem Corrado [5]), quod Roscium Othonem consulem legem theatralem tulisse posuerit [6]). Sed totus ille locus corruptus est, in ed. 1. sic scriptus: — *et tribunos ærarios quam L. roscius otho biennio ante cos. firmavit;* Hotom. non minus male *ante coss.*, Schütz., nescio unde, *ante consulatum;* legendum est: *ante hos coss.* Recte autem usum esse *firmandi* verbo, quo significatur, id, quod ea lege constitueretur, non plane novum fuisse, declarant Ciceronis et Velleii loci [7]). De legatione M. Scauri Asiatica ab Asconio commemorata [8]) dubitationem sustulit Wesseling [9]). Ab Heinrichio quoque iniuria Asconio fit in iis, quæ ad extremum comment. orat. pro

---

3) Quæst. alt. p. 378 Lips. Corradum alii sequuntur.
4) Ascon. p. 122 ad init Pison. Plut. vit Cic. 41.
5) p. 75.
6) p. 197. (970. Gr.)
7) Cic. pro Mur. 19, 40. Vell. II, 32.
8) p. 135. (1006 Gr.)
9) Observv. I, 11, cfr. Garat. ad Lib. I. in Verr. 4. p. 160. Haun.

Scauro adnotavit [1]), quamquam partem culpæ in librarios transfert. Nam quod Valerius Maximus id, quod illo loco commemoratur, Catonem *in M. Scauri cæterorumque reorum* iudiciis fecisse, dicit, id non negat Asconius, qui oblata opportunitate hunc morem Catonis in Scauri causa notavit; deinde, quod Asconius addit, id factum, quod æstate iudicium ageretur, id neque negat Valerius Maximus (plura enim iudicia æstate exercere potuit Cato), et per se probabile est, hoc leviore vestitu Catonem æstate æstus levandi causa usum esse. Sed ne cætera quidem, quæ vir eximius nugatore, non Asconio digna indicabat, vitiosa sunt. Cæteri eo vestitu in publicum certe non prodibant; id Cato instituerat, iam ante illud tempus; tunc prætor ita vestitus ius quoque dicebat. Sunt alia, quæ reprehendere aliquis possit, non Asconii sed librariorum culpa vitiosa, ut ad Pis. c. 4 p. 123. tribuni nomen *L. Mummius* s. *Memmius*, pro quo recte Garatonius *Ninnium* substituit; ed. I. *Munius* totidem ductibus. Eiusdem generis error erat p. 106. p. 969 Gr., sublatus a Pighio et Schützio (XVI, II. p. 202. [2]). Non prætermittenda hoc loco videtur

---

[1]) p. 226. sq. Beier; locus Asconii ap. Hot. est p. 139. p. 1017. Gr.

[2]) Nec Asconio vitio vertendum, si qui male eius verbis usi historiam perverterunt, ut factum nuper ad Cic. Catil. III, 4, 9. a Weiskio et, quod nollem, Matthiæo, qui, quæ de Cassiano virginum iudicio Asconius habet ad Milon c. 12. p. 152., ea ad a. 681. retule-

alia res ad Ciceronem spectans, ex qua crimen Asconio confingi posse video; patrem enim Ciceronem amisisse scribit, quum consulatum peteret [3]). Huius rei meminisse Ciceronem putant vulgo in epistola ad Attic. libri 1, 6. *Pater nobis decessit a. d. VIII Kal. Decembr.*[4]). Hæc ut inter se conveniant, epistolam illa scriptam iudicarunt a. 690, ac tamen coguntur ab Asconio ita dissentire, ut non in petitione, sed designatum iam consulem patrem amisisse dicant.

---

runt. Benecke, quum hoc fieri non posse vidisset, dubitanter Cassianum illud virginum iudicium, de quo nihil præterea ne is quidem comperisse videtur, ad a. 641. refert. Scilicet res minime incerta; vid. Ellendt ad Cic. Brut. Prolegom. p. LXXI. et adde memorabile Fenestellæ fragmentum apud Macrob. Saturn. 1, 10. p. 250. Zeun., unde etiam dies iudicii cognoscitur. Nec video cur M. Pisonem removeant ab illo iudicio a. 681. (Benecke etiam perverso, quem ipse indagat, temporum ordine, ad Cassianum iudicium reiicit;) neque Cicero (Brut. 67, 236.) eum *adolescentem* in hoc iudicio laudem adeptum scribit, sed, quum post adolescentiam aliquamdiu minus floruisset, in hoc iudicio quasi in cursum revocatum. M. autem Pupius Piso, etsi consul factus est demum 693., tamen, quum iam adolescens philosophum secum habuerit a. 663, (Cic. de orat. 1, 22, 104.) Cicero autem ad eum a patre deductus sit (Ascon. ad Pison. 26. p. 128), a. 681 non multum a quadragesimo anno abfuit.

3) Argum. orat. in T. C. p 109.

4) Præter interpretes, Corrad. quæst. p. 71. Lips., Middleton, &c.

Sed nullæ omnino sunt eius anni ad Atticum epistolæ; rectiusque Schütz. a. 686. scriptam illam epistolam putat. Magnus, inquis, error Asconii. Immo magnus interpretum, qui non videant, de patris morte nihil omnino illo in loco a Cicerone scriptum esse. Tota epistola est de levissimis rebus, de domo Rabiriana, de Q. fratre, de Turranio; his illa verba subiicit; tum Atticum rogat, ut quædam ornamenta gymnasio apta emat; omnia hilari animo scripta et familiari quadam negligentia, quali quidem epistola patris mortem nemo nuntiat, ne is quidem, qui ea gaudet [5]). Verbo præcidam. *Discesserat* pater aliquo, non *decesserat*. Restat locus aliquis in quo Asconius de re minime obscura aut ignota turpiter dubitare videtur [6]), de C. Cottæ lege de tribunis; sed videtur tantum; nam dixit ipse distincte paulo ante [7]), ut apertum sit, excidisse ali-

5) Eodem libro ep. 14. servum sibi mortuum his verbis Cicero scribit; *et mehercule eram conturbatior; nam puer festivus, anagnostes noster Sositheus decesserat, meque plus, quam servi mors debere videbatur, commoverat.*

6) ad Corn. p. 106. p. 970. Gr.

7) ad Corn. p. 98. p. 959. Gr. Sed ridiculum est, quod ibi dicitur *in concione tulit*; quod ne quis Asconio ipsi tribuat, quomodo locus in ed. L scribatur, notabo: *quam in contione * nobilitate magno populi studio ut his * fuissent. Alios quoque magistratus * aliter et quod lex dictatore L. sulla paucis * lata* &c. In huiusmodi loco vocabulum quoque concionis cor-

quid, quum scripsisset Asconius eodem fere modo, quo alibi [8]), *ut puto vos reminisci.* Sed oritur, qui Asconium graviter accuset, Jeremias Markland. Nam quum ab Asconio ad Cornelianam [9]) adnotatum sit, Ciceronem oratoria quadam arte aliter hic, aliter in ea oratione, quam de haruspicum responsis habuerit, de eadem re dixisse, Marklandus [1]) primum Asconium semetipsum ioculari errore impedire putat, deinde ex ipsa hac repugnantia apparere, alteram orationem supposititiam esse, minimeque mirandum esse, Asconio verba data esse, utpote homini criticis studiis non tam exercitato, quam is deberet esse, qui omnem ætatem in evolvendis atque perscrutandis clarissimorum oratorum scriptis consumpsisset. In qua disputatione lapsus est non leviter vir optimus. Primum de ipsa re videamus. Sedes secretas senatoribus in theatro primum datas P. Scipione Africano II. Ti. Sempronio Longo Coss. constabat; quibus ludis et a quo magistratu datæ essent, varie traditum erat, ut Asconius Valerii Antiatis et alius scriptoris testimoniis allatis ostendit [2]); consuli-

ruptum dici, nemo mirabitur; videtur fuisse *in consulatu.*

8) ad Corn. p. 99. p. 960. Gr.

9) p. 100. p. 961. Gr.

1) præf. ad IV. oratt. Cic. p. LXX sq. Wolf.

2) Locum mancum esse, ipse Marklandus verissime vidit, et excidisse finem loci Ciceronis ab Asconio laudati, verbis autem *hoc tributum esse senatui* &c.

bus quidem invitis datæ non erant. Itaque Cicero in Corneliana, in qua popularem se facit, Scipionem postea poenituisse ait, quod rem minime popularem fieri passus esset, idque alios quoque tradidisse, Livius narrat [3]); in ea autem orat., quam de haruspicum responsis habuit iam optimatum partibus deditus, id factum esse posuit ludis Megalensibus, nec patientibus coss., sed auctoribus, idque quo gravius esset, ita dixit, ut non auctorem dandi Scipionem fuisse perhiberet, sed ipsum dedisse, quum tamen illud, ut recte Asconius adnotavit [4]), significaret; dare enim proprie non poterat, quum ædiles illos ludos facerent. Itaque iocularis ille error nullus est. Quod autem ex ipsa repugnantia Marklandus intelligi vult, alteram orationem spuriam esse, id quale sit, facile adparet. Nam in re levicula cur Cicero in orationibus diversos auctores sequi non potuerit, nihil sane est;

---

ab Asconio alius scriptoris sententiam exponi. Id multo clarius apparebat, antequam interpolando vitium occultatum est; nam in ed. I. est: *P. Africanus II. cos. et colla eius sempronio longo hoc tributum.* Ablativus satis lacunam prodit, ortam ex eo, quod librarius a priore commemoratione P. Africani ad alteram aberravit. Itaque sic edendum est: *II. cos. * et collega eius sempronio Longo.* Aliæ in his ludis turbæ apud Livium; vid. Duk. ad 34, 54, 3. Lange Vindic. Tragoed. Rom.

3) 34, 54, 6.

4) *non passum esse Scipionem, sed ipsum auctorem fuisse dandi eum locum senatoribus* VIDETUR SIGNIFICARE.

quod autem rem interpretatione alio traxit, in eo si quis cum Marklando irascitur, concedat tamen necesse est, antiquorum oratorum non eam fuisse religionem; de qua re non est, cur multa dicam; recte Gesner Marklando opposuit Ciceronis de Crasso narrationem in Cluentiana c. 50 sq. quum se de simili inconstantia excusaret; quid de oratione pro Murena dicam, quid de Vatinio post acerbissimam illam interrogationem a Cicerone defenso? Ex Verrinis et Maniliana satis intelligi potest, quanto aliter Cicero ædilis et prætor popularis, atque idem consularis nobilitatis defensor post exsilium dicat. Itaque hæc quidem vana sunt, manetque integra quæstio, quæ sit Asconii in iudicio de illa oratione auctoritas [5]), quem cur Marklandus minime in criticis studiis versatum dicat, scire velim; nam ex hac una ipsa re, de qua controversia est, argumentum ducere, non est boni critici. Habuisse Ciceronem eiusmodi orationem, Asconio credendum esse mihi videtur, de temporibus et occasione habitarum orationum diligenter quærenti; etsi orationem sententiæ loco in senatu dictam in actis notatam vix reperit, ut nec Pisonianam; nec video cur in hac oratione repugnent, quum, si non *pro domo*, certe *de domo* Ciceronem dixisse confiteantur; eamne veram orationem Asconius habuerit, an confictam, quæritur; si veram, sitne eadem nostra, an

---

[5]) Quæ Jacob in libello de Cic. orat. pro Marcello p. 10. scripsit, non vidi.

potius, quæ erat fere Wolfii sententia [6]), hæc, quam nos habemus, post Asconium ita composita a declamatore aliquo sit, ut ex vera tum alia, tum ea, quæ Asconius laudavit, in suam transferret, an denique Ciceronis quidem sit, sed multis locis interpolata [7]). Ac fraudem quidem in hoc genere iam ante Asconii ætatem versatam esse, satis ab aliis demonstratum est, et exstat de hac re præclarum ipsius Asconii testimonium extremo comment. ad orat. in T. C. sic scribentis [8]): *Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem eius; feruntur quoque orationes nomine illorum editæ, non ab ipsis scriptæ, sed ab Ciceronis obtrectatoribus, quas nescio an satius sit ignorare.* Notabilem admodum hunc locum putat Orellius [9]); multo magis id indicabit, qui apud Quintilianum [1]) hæc legerit: *ut est apud C. Antonium: Sed neque accusatorem eum metuo, qui sum innocens: neque competitorem vereor, qui sum Antonius: neque consulem spero, qui est Cicero.* Audin' concentum antithesium scholasticarum, quarum similes apud Senecam rhetorem quæras? quibus tamen se decipi

---

6) præf. p. XXXIX. ad ipsam orat. p. 340.

7) Hæc ratio placuit Handio in Encyclop. Ersch. et Grub., ubi de Cicerone exponit; in Marcelliana Jacobo et Passowio (in ind. lect. æstivar. Vratislav. a. 1828).

8) p. 118.

9) in nota subiecta p. 526.

1) IX, 3, 94.

passus est Quintilianus [2]); nam ex ficta Antonii oratione in toga candida ista sumta esse apertum est. Sed et in Cicerone suo diligentiores fuisse puto, cuius præsertim et commentarios haberent et epistolas plures, quam nos, et Tironis de eius vita libros, et Asconium hac in re præclare omnia vidisse apparet, recteque habitas orationes ab éditis discrevisse, ut multo minus probabile sit eum in Cicerone deceptum esse [3]). Illud minime negligendum mihi videtur, quod Asconius bis *de aruspicum responso*, non *responsis* appellavit; si enim ut Wolfius putat, cui ego adsentior, declamator ex vera oratione declamandi occasionem arripuit, quid facilius quam ex responso responsa facere, ut plura dicere posset? Ac sane eiusmodi consilia, qualia inde a cap. 19. istius orationis exponuntur, nunquam ab haruspicibus data putem, quorum erat de iis, quæ ad religionem pertinerent, monere, non senatorum de republica consultantium partes agere [4]). Sed redeo eo, unde sum digressus. Asconium enim mihi

---

2) "Quintilianum meum non adeo magnum criticum expertus mihi videor." Spald. ad Quint. IV, 1, 68.

3) Illo quidem tempore, quo Markland putabat, id est, post a. 786. compositam declamationem Asconius nunquam pro Ciceroniana habuisset; eo enim anno sine dubio ita iam legerat Ciceronis orationes, ut novas nescio unde subito oblatas accepturus non esset.

4) De ipso illo orationis loco satis mihi certum videtur, Ciceronem non ita scripsisse, ut, quum c. 11. de Megalensibus exposuisset, c. 12. quasi de alia re ante dixisset, ita ordiretur: *Nam quid ego &c.*

videor ostendisse hominem fuisse veteris reipubl. et historiæ literarumque veterum peritissiumm et diligentissimum, ut admodum dolendum sit, tam exigua eius scriptorum fragmenta superesse. Ars in huiusmodi operis consilio eminere non potuit; ingeniosum admodum fuisse, non contendo; hoc quidem in scripto omnia ad filiorum ætatem accommodavit. Iis quoque dedit, quod præter historica paucissima quædam de institutis antiquis et moribus sua ætate sublatis adnotavit, ut de interrege [5]), de comitiis [6]), de collegiis [7]), de redemtione, quam senatori habere liceret [8]), de vestitus quodam habitu [9]), de ludi quodam genere [1]). De cæteris ita loquitur, ut apud homines in rep. Rom. institutis Romanis viventes necesse erat [2]). Semel

5) ad Mil. 5. p. 150.

6) ad Corn. p. 101. p. 962. Gr.

7) ibd. p. 104. p. 967. Gr.

8) ad orat. in T. C. p. 117. p. 987. Gr., etsi hoc, lege quidem, sua *quoque* ætate licuisse significare videtur.

9) ad Scaur. extr. vid. supra.

1) ad Corn. p. 95. p. 953. Gr.

2) Quid inter huiusmodi adnotationes et scholiastarum inferioris ætatis intersit, sentiri potest vel ex uno exemplo. Ad. Pis. c. 33. p. 129 adnotat: *Prope notius est, quam ut indicandum sit, hunc versum esse L. Accii poetæ et dici a Thyeste Atreo* (Sic edit. I, nec profecto erat, cur *in Atreo* scriberetur). Notabile est ad rei librariæ illius ætatis cognitionem, qua in libris manu descriptis minus certæ temporis scriptorisque notæ erant, quod Asconius filios admonendos putavit Julii tragoedias, quas haberent lege-

aliquid paulo vulgatius attingit de divisione sententiæ [3]), usus eadem excusatione; rem ipsam multo rariorem fuisse sub imperatoribus puto, quam in veteris reipublicæ concitatis senatorum dissensionibus; videtur tamen mihi hoc quoque confirmare, quod supra posui, filiis extra Romam educatis scripsisse. Rhetorica nusquam attingit, nisi quod exposita historia brevissime interdum de orationis artificio monét [4]). Grammaticam verborum interpretationem Asconium plane non attingere, non dicerem, nisi in ea re tantus esset vulgo error. Una est in veris Asconii commentariis ex grammatico genere observatio, in qua propter hoc ipsum valde me hærere confiteor, quod neque cum universo commentariorum consilio convenire neque in istam ætatem cadere videtur. Ea est ad Scaurianam p. 135. (p. 1010 Gr. p. 142. Beier Fragm. Cic. Oratt.) de anacolutho in particulis *ac neque*, quibus non respondet alterum *neque* [5]). Primum discedit a

---

rentque, esse Cæsaris Strabonis; ad Scaur. pag. 137. p. 1011 Gr.

3) ad Mil. 6. p. 151.

4) Præter locum illum de orat. de haruspicum resp. cfr. Argum. Cornel. extr. p. 94, et ad orat. in T. C. p. 116. p. 985. Gr., ubi, ut nunc est, verba *hæc Fabia* delenda videntur, mirum quoque tantum valuisse Ciceronis adolescentis auctoritatem. Distinguendum est: *eratque absoluta. Hæc Fabia quia soror erat Terentiæ Ciceronis, ideo* &c., et est ita in ed. I.

5) In ed. I. verba Ciceronis ita scripta sunt; *Ac neque*

more suo; ac si huiusmodi anacolutha notare voluisset, plurima in iis oratt., ad quas commentarii exstant, notare potuisset; deinde nota pertinet ad genus anacoluthi apud Ciceronem in particulis copulativis minime infrequens, ut tanta illa animi dubitatio curaque, quo casu Cicero hoc loco ita locutus esset, Asconio oboriri potuisse mirandum sit, quum præsertim scriptores Asconio æquales, eoque inferiores, multo magis ab anacoluthis abstinentes, quam Cicero (adstrictior enim eorum sermo oratoriam illam libertatem non ferebat) hoc genere non abstineant [6]). Neque minus mira est compa-

---

illius Crassi factum neque superioris &c. Alterum *neque* recte deletum esse, ipsa docet adnotatio; comparatur cum P. Crasso pontifice maximo in Asia capto M' Aquilius, cuius idem fuerat casus, cum altero P. Crasso, turbis domesticis oppresso, Iulii et Antonius, in iisdem turbis interfecti.

6) Exempla in particula *et* post Matthiæum attulit Beier p. 144. (Add. de Div. 1, 49, 111. de off. II, 9, 33). In *neque* idem fecit Cicero de Fin. II, 22, 71, ubi ad illa *Nam nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui* &c. referri debebat *nec fortis* &c. de reliquis virtutibus, pro quo, quum plura de iustitia interposuisset, subiecit (72): *Quæ dici eadem* &c. Apertior eiusdem locus de Fin. 1, 7, 28. ubi illis *sed prorsus existimo,* NEQUE *eum Torquatum* &c., respondent hæc (24.) *Quid? T. Torquatus, is qui* &c. Eandem esse rationem loci Quintilianei XII, 6, 2 et 3, observavit Walch. in Wolfii Anal. liter. 1. p. 251. Tacitus pro altero *neque* posuit *ne–quidem* Hist. II, 82. *Donativum militi neque Mucianus prima concione, nisi modice,*

ratio exempli dissimillimi, ubi *neque* adiungit aliquid superioribus, eiusque exempli remotio; in modo quoque Ciceronem commemorandi aliquid ab Asconii more abhorrens reperire mihi videor in verbis *moveor merito viri auctoritate;* tum illud *rursus inferre* de eodem verbo paulo post ponendo usitate non dicitur, etsi de syllogismi conclusione poni solet 7). His rationibus commotus admodum dubito an non sit Asconii hæc adnotatio; et confirmatur hæc dubitatio alia quadam re. Asconius enim in his fragmentis adferendis diligenter de hominibus a Cicerone commemoratis adnotat, primum de P. Crasso, tum de altero Crasso, pontifice maximo, deinde de Juliis; in Antonio, oratore, notissimo homine, mortis tamen genus notavit; de M'. Aquilio nihil adnotatum est. Suspicor igitur ab aliquo inferioris ætatis homine, qui et Ciceronis orationem et Asconii commentarium haberet, adpositam commentario hanc notam, deinde pro ipsa Asconii de Aquilio adnotatione descriptam esse. Si Asconii est, novo ac valde memorabili exemplo intelligitur, quam non subtiliter de lingua sua ipsi

---

ostenderat: ne Vespasianus quidem &c.; magis etiam a norma recedit Hist. IV, 34., ubi duo in Vocula reprehendens ita dicit: *Vocula* NEC *adventum hostium exploravit, eoque simul egressus victusque;* DEIN *victoriæ parum confisus* &c. Idem in *aut* anacoluthon apud Cic. Brut. 14, 53. Orat. 69, 229 recte Orellius et Meyer retinent.

7) vid. Spald. ad Quintil. V, 11, 27.

ipsi veteres Romani, quum optime ea uterentur, disputaverint [8]).

Constat igitur, commentarium sive enarrationem Asconii ex historico, non ex grammatico genere esse, non scholiastæ obscura propter vetustatem antiquorum scripta interpretantis, sed hominis literati de ætatis paulo superioris rebus exponentis. Atque propter hoc ipsum opus, quod si totum exstaret, multo pleniorem et in multis rebus certiorem historiam extremorum reipublicæ temporum haberemus [9]), Asconium historicum ab Hieronymo appellatum iudico, et honorifica illa mentione cohonestatum; quam sententiam postea non levibus argumentis confirmari videbimus simulque intelligemus, deperditorum commentariorum vestigia superesse, alia obscura et tenuia, alia clariora. Restat, ut de Asconii scribendi genere dicam; id tale est, quale in hac ætate, hoc homine, hoc operis consilio exspectari poterat, purum et emendatum,

8) Notulam grammaticam ex pessimo Verrinarum commentarii genere coniectura sua Asconio pæne tribuebat Orellius ad orat. in T. C. p. 525. (q. 115 H.) *quod illi*] *nempe dixerunt*. Sed totam illius commentarii editionem ex Hotomano ductam commutabit vir clarissimus, si Asconii edendi consilium exsequetur. Ideo eius raro a me mentio fit.

9) Ne si exstarent quidem Sallustii et Livii opera, ea accessio contemnenda foret: in singulis enim rebus hominibusque multa ab illis prætermissa haberet, multa in minutis rebus posita sed ad temporum illorum statum cognoscendum perutilia.

breve limatumque, tenue et ab ambitioso ornatu remotum, cuius specimen cæteris minus corruptum in argumentis orationum pro Scauro et pro Milone est; ex inferioris ætatis sordibus nihil reperias, nisi quod librariorum aut editorum incuria intulerit; corrupta multa esse in iis, quæ ex uno codice mutilato descripta, deinde ex hoc apographo transscripta et edita sint, nemo mirabitur, neque ex his de scribendi genere iudicium faciet. De *iuramenti* vocabulo ante dictum; perversæ locutionis corruptione ortæ exemplum est ad Milon. 14. p. 153. *domi tenus obsessus est;* in ed. I., scribitur: *domum rediit ex eodem tenuis obsessus est etiam* &c., ex quibus vestigiis legendum videtur *domum rediit et se domi tenuit. Obsessus est etiam* &c., id est *insidiis petitus*, sensu rariore, sed ex Ciceronis libris noto. Simile est in argum. Milon. p. 143. *petebatque nihilo deterius consulatum* pro *nihilo secius;* ed. I. *Milo deterius;* legendum arbitror: *petebatque nihil deterritus cons.* Alia omitto, in quibus corruptio aperta est, emendatio difficilis. Novam reperio præter *saccularioram* iocularе nomen ex historia repetitum [1]) appellationem *refragatoris* [2]) ex usitato refragandi verbo eodem modo declinatum, quo a suffragando *suffragator*. Itaque nihil est, cur non in iis, in quibus corruptelæ suspicio non est, Asconii auctoritate tanquam optima utamur; velut *honoratissimum decretum* pro ho-

1) ad orat. in T. C. p. 115. p. 983. Gr.

2) ibd. p. 110, p. 978. Gr.

norificentissimo unius Livii auctoritate firmatur; accedit Asconii, scribentis *honoratissima decreta erga Ciceronem fecerant*[3]); rarius visum est loquendi genus, quo usus est Lentulus (in Cic. Epp. ad Fam. XII, 15. post med.) *magistratus veniebant in suspicionem detinuisse nos et demorati esse*; quamquam infinitivum tuetur Ciceronis locus (in Verr. IV, 13, 30) *quum in suspicionem venissent suis civibus fanum expilasse Apollinis*, nominativum ratio locutionis; est enim *credor*. Sed eodem modo Asconius in argum. Milon. p. 146. *Pompeius et Sallustius in suspicione fuerunt in gratiam redisse cum Milone.* Adde Sueton. Jul. 9. Tiber. 12. Sed plane eiusdem rationis est locutio *infamia flagro, fecisse* et *infamis sum, fecisse*; illud Asconius dixit in argum. Corn. p. 93 *magna infamia flagraverunt vendidisse silentium*, hoc ipse Asconio unius literæ detractione supra restitui[4]).

---

3) ad Pison. init. p. 121. p. 591. Gr.

4) p. 49. not. Coniunctio hæc infinitivi cum locutionibus passivis brevitatem habet; itaque apud argenteæ, quam vocant, ætatis scriptores in iis etiam verbis in usu est, quæ apud antiquiores non fere passive ponebantur nisi impersonaliter; sic apud Tacit. *suspectus consilia fovisse* Hist. 1, 46. et IV, 34. *suspectus bellum malle*; apud eundem Hist. 1, 53. *compertus avertisse*, ubi non satis attendit vir egregius, Lipsius; durius et plane ex Taciti more Ann. XIII, 35. *adnotatusque miles – ita prœriguisse manus* &c. sed ne illud quidem Cicero scripsisset, quod est Hist. IV, 40. *postquam cognitus est – confugisse*, etsi Ovidii et Livii similia

Talis igitur scriptor quum sit Asconius Pedianus, restituendus est in eum locum, unde iniuria deiectus est, eximendusque illorum scholiastarum numero, quos nemo nisi scriptorum ab illis enarratorum causa legit, et studio philologorum commendandus, ut eum et legant et cura sua emendatiorem esse velint non minus quam cæteros eius ætatis scriptores. Nobis enim non idem licet, quod cæteris, ut in iis solis scriptorum libris operam ponamus, qui ingenio et pulchritudine excellunt; quicquid antiquum et probum ad nos pervenit, id omne cura nostra dignum est. Atque hæc ita dico, ut hac commendatione indignissimam iudicem maiorem partem eorum, quæ sub Asconii nomine circumferuntur, de qua parte exponam, quum prius, quæ quasi præiudicia facta sint, dixero.

IV.

Superioris ætatis Ciceronis et Asconii editores secum constitutum non habuisse, quid verosimile esset Claudii et Neronis ætate in Ciceronis orationes scribi potuisse, iam dixi. Itaque illi in Verrinis orationibus cum Asconio, ut putant, de ver-

---

sunt. Eadem est passivi personaliter positi ratio apud Ovidium in *dubita* (*an dea sim, dubitor*,) longius tamen progressus Tacit. Ann. XIV, 7. *ne auctor dubitaretur;* eodem modo idem dixit (Ann. XI, 29) *Callistus, mihi narratus*, et (Ann. XII, 49), *ne cæteri ex Peligno coniectarentur.*

borum sententiarumque interpretationibus; de rerum narrationibus contendunt; neque intelligunt, neque ista scribi tum potuisse, neque, si quis scripsisset, errare eum in illis, de quibus dissentiant, potuisse [5]). Alii autem raro, sed tamen aliquando non dubitabant, sed admirabantur, quum in res ab Asconii ætate vehementer abhorrentes inciderant [6]). Nonnulli longius progressi, quod tot inferioris ætatis vocabula locutionesque hic reperiebant, interpolatos nos Asconii commentarios habere putabant, quorum primus fuit, ut opinor, Hadrianus Cardinalis [7]), quem secutus est G. Scioppius [8]); in eadem sententia fuit Ab. Wieling, iurisconsultus, quod in iure explicando alicubi lapsum viderat [9]), nuper autem Garatonius, sibi tamen non constans [1]),

---

5) Plenæ sunt huiusmodi reprehensionum P. Manutii et Iac. Menardi adnotationes; iidem tamen (antiquum enim putabant) plurimi faciunt (vid. v. c. Menard. p. 67 col. 1. p. 70 col. 2. ed. Græv.) Ernest. in ind. hist. s. v. *P. Lentulus*, *P. principis Senatus Nepos:* "itaque et hic, ut sæpe, errat Asconius."

6) Exemplo sit Fr. Fabricii, minime indocti hominis, nota ad argum. Divin. ad verba *etiam ipse in quæstione*, (in Grævii ed. hæc nota Hotomano tribuitur.)

7) in libro de sermone Latino; vid. Fabric. Bibl. Lat. II. p. 67. Ern.

8) Infam. Famiani (Soræ 1658.) p. 111; de stilo histor. p. 169. Robortellus in librarios culpam transferre malebat.

9) Lectt. iur. (Amstelod. 1738. 8.) p. 189.

1) Ad Div. 15. simpliciter Asconium reprehendit, nimis, ut putat, acutum (ut ego interpretor, stultum); cfr. ad Act. 1, 2. ibd. 17. Ad illam de interpolatione

quos miror, neque attendisse, quæcunque reprehenderent, in Verrinarum commentariis esse [2]), neque vidisse, non in una aliqua re neque in paucis aliquot hanc esse discrepantiam, sed in toto genere. Itaque iam olim, quum adolescens Verrinas adhibito isto commentario legerem, ab Asconio alienissimas esse has nugas intelligebam, id quod mox dudum a summo viro Niebuhrio et intellectum et dictum [3]) vidi, a quo tamen et de ætate et de dignitate huius commentarii dissentio, et in eo valde discedo, quod is commentarium ad aliquot Ciceronis orationes a Maio editum et hunc eiusdem esse scriptoris putat, qui mihi plane dissimiles videntur. Verum hæc eius sententia adhuc quasi pro indicta fuit. Nam quæ A. Maius, homo ad huiusmodi disputationem minime aptus, refellendi causa opposuit [4]), nihil aliud efficiunt, quam non

suspicionem deducitur ad Lib. 1. Act. II, 41., ubi tamen concedit, quod omnium primum negandum erat, eius ætate ridiculam istam de *non census* opinionem proferri potuisse; cfr. ad Lib. II, c. 2. et 4.

2) A. Maius quum Asconium subinde reprehendi ostendere vellet (Cic. Fragm. Oratt. p. 169.) septem posuit locos, omnes scilicet ex Verrinis. Hic saltem, a Niebuhrio admonitus, adtendere debebat.

3) præfat. ad Front. Berolin. p. XXXIV. not. 4. Cfr. Römische Gesch. ed. II, t. 1. p. 492, ed. III; p. 524.

4) in comment. de ed. 1. Mediol. Fragm. Cic. p. 1. 2. additam. p. 35. 36. Ipse Maius fatetur valde exilem esse Asconium in Verrinis, copiosiorem ac doctiorem in reliquis.

recte putasse Niebuhrium, a codice Poggii hos commentarios abfuisse. Ex cœteris unus Niebuhrii sententiam non reiecit (neque tamen aperte probavit), Savignius [5]). Cæteri aut leviter prætereunt ut Beier [6]), aut ignorare vel negligere videntur, ut Orellius, Klenze, Savignii collega [7]), Heffter [8]) et Järcke [9]), Bonnenses, qui omnes huius commentatoris testimonio tanquam Asconii sine ulla dubitationis significatione utuntur, ne alios commemorem, quos minus mirum est sententiæ Niebuhrianæ rationem non habuisse. Et tamen quæstio ea est, quæ iudicari et debeat et facile possit. Sed rogandi mihi lectores sunt, ut de tota huius commentarii ratione exponentem patienter sequantur; versabimur enim in loco minime amoeno, sed barbariæ sordibus pleno. Admonendi au-

---

5) In commentat. de lege Voconia in scriptis Academ. Berolin. a. 1820 et 1821. p. 227. "Asconius oder wer sonst den Commentar zu den Verrinen geschrieben haben mag."

6) in not. subiecta Maii præf. in Cic. Fragm. Oratt. p. LXI. Bähr in hist. litt. Rom. Niebuhrii sententiam vix in nota commemoravit p. 397. Schröter (Herm. a. 1824., fasc. 4. p. 340) nihil de ipsa controversia dicit.

7) in Fragmentis legis Serviliæ. Berol. 1825.

8) ad Gaci lib. IV. p. XXXVIII b. (ad §. 91), qui ubi adnotationem quandam damnare cogitur, eam veris Asconii notis interpositam putat (p. VIII. ad §. 15).

9) Darstellung des censorischen Strafrechts der Römer. Bonn. 1824.

tem sunt, si qui timidiores sunt, non magnam neque antiquam auctoritatem a nobis oppugnari. Asconii enim hæc esse, nulla alia ratione creditum est, quam quod a Poggio cum veris Asconii commentariis inventa sunt; quem concedamus sane in uno quoque codice coniuncta reperisse; nihil enim id ad nos. Nomen quidem Asconii, si editioni primæ fidem habemus, in initio et fine commentarii in Pisonianam et in initio commentarii ad orat. pro Cornelio adscriptum fuit, alibi nusquam.

Et ut ab forma ordiamur, ea est quæ solet in scholiis grammaticorum infimæ ætatis esse. Argumentum perscribitur, in quo temporis notatio conclusa est; tum sequuntur notulæ pleræque brevissimæ nullo contextu Ciceronis uni vel duobus vel tribus verbis lemmatis loco positis subiectæ; nulla sententia integra excerpta; nullo loco, de qua re agatur, notatum, nihil cohærens. Atque in eam sane suspicionem veni, hunc commentarium primum cum ipso codice orationum Ciceronianarum ita coniunctum fuisse, ut notæ margini adscriptæ essent, deinde per se descriptum [1]). Video enim in codice Poggiano ita perturbatum fuisse

---

[1]) Simili suspicione in scholiis Ambrosianis Peyronium non recte usum esse infra ostendam. Beierus p. LXI. hanc lemmatum diversam rationem Niebuhrium in illam de his commentariis opinionem impulisse putat. Si vir optimus, quum ista scribebat, nuper Asconiana tractasset, vidisset multo plura et graviora Niebuhrium secutum esse.

harum notularum ordinem, quod in Asconii commentariis ne semel quidem factum est, ut, id unde acciderit, nullo modo possim intelligere, si antiquitus in suo codice continua serie scriptæ fuerint. Hanc autem coniecturam secutus id tum factum esse puto, quum notulæ in margine hic illic additæ in alium codicem transferrentur. Atque hæc perturbatio in Manutiana editione nondum omnino sublata est; in Hotomaniana omnia ordine posita [2]. Fuisse autem olim huiusmodi commenta-

---

[2]) Hoc ut quale sit intelligatur, quod ex recentioribus editionibus nemo suspicari poterat, notas ad divinationem, quæ transpositæ sunt in ed. I., perscribam, literam M iis, quæ iam a Manutio in ordinem redactæ sunt, adponens: p. 3. H. p. 285 Gr. *causis iudiciisque publicis* a verbis *Iam hoc* usque ad *periculum fecit* repetito lemmate post *quasi coniuncti* (4. p. 287 Gr.); p. 3 p. 286 Gr. *Cum quæstor* post proximam; p. 8. p. 301 Gr. *Quod in unaquaque re* et *Eripuisti atque abstulisti* post illam *Sestertium millies*; p. 9. p. 302 Gr. *Accedere aut aspirare* post illam *Etiamsi tacent* (M); p. 9. p. 303 Gr. *Te ipsum ulciscantur* post illam (p. 10. p. 305 Gr.) *Cuius ego causa laboro;* p. 10. p. 306 Gr. *certos* interponitur mediæ notæ proximæ post *non liquere,* ante *Vult ergo* (M.); p. 11. p. 307 Gr. *A pueris nobilibus* et p. 12. p. 307 Gr. *Si a quadruplatoribus* ante illam (p. 10. p. 305 Gr.) *Aliquis metus adiunctus sit;* p. 13. p. 310 Gr. *Ut est hominum genus* ante illam *Nisi a Siculis;* ibd. *Deinde Accusatorem* post illam (p. 309 Gr.) *Suæ reddere;* p. 17. p. 321 Gr. *Ipse profecto* ante *Transigere* (M.); ibd. *Ex illius invidia* post illam *Quid, cum*

rios adscriptos marginibus librorum Ciceronis, ostendit, quod in codd. non solum glossas vocumque interpretationes reperimus, quæ a librariis et a lectoribus addebantur, sed vestigia adnotationum rhetoricarum eiusmodi, quas, nisi ad perpetuum commentarium pertinuissent, nemo adiecturus fuisset. Huiusmodi est nota in margine cod. St. Vict. in orat. pro Cluent. 21, 57, sed apertior res in eadem orat. 22, 59. ubi integra fere adnotatio exstat, quæ talis fuit: *quæ a me breviter*] *bene breviter, ut, quum multa dixerit, multa adhuc sibi reservasse videatur.* Unius tamen hominis perpetuum commentarium esse, non variorum adnotationes ex marginibus corrasas, (ne quis id me putet dicere,) satis patet tum ex argumentis additis, tum ex æquali tenore commentarii, tum ex eo, quod commentator paulo ante a se dicta revocat in memoriam [3]).

Ipse autem commentarius non historicus est, sed rhetoricus et grammaticus, in vocum sententiarumque facillimarum, rerum notissimarum enarratione positus, sæpe puerilis, errorum et ineptiarum plenus.

---

accusationis (M.); p. 18. p. 324 Gr. *Hunc tamen ab subselliis* et (p. 325 Gr.) *In clamando quidem* post illam *Multum submittere* (M.); p. 19. p. 328 Gr. *Ad columnam* post illam *Vestri ordinis* (hæc apud Hot. quoque turbata); p. 21. p. 333 Gr. *Circeo poculo* post illam *Redit ad se.* Similes sunt transpositiones in reliquis libris.

3) vid p. 43 ad Act. 1, 18. p. 87. ad Lib. II, 8.

Rhetorem de schola statim in argumento Divinationis tenemus, ubi primum, quasi thema scholasticum proponens, personam et personæ adiuncta describit [4]), deinde paucis ex historia repetitis propositiones utriusque partis contrarias exponit, tum de orationis genere ex scholæ præceptis disserit [5]). Similia sunt cæterarum orationum argumenta. Deinde in ipsis orationibus multus est in rhetoricis et in virtutibus prædicandis, inani plerumque exclamatione [6]); in quo utitur fere vocabulo *mire* vel *et mire* [7]), qui cæterorum quoque scholiastarum usus est [8]). Una est in his adnotatio, quæ paulo doctior videri possit, ad Divinat. 7. p. 10. de clausula *cuius ego causa laboro*, quam spondeo et bacchio constantem, ab aliis reprehensam, de industria positam putat, non inscite; verum huius quoque rei aliquam curam a superioribus traditam apud extremæ ætatis grammaticos Latinos fuisse,

4) *Vivo patre C. Verre et prætextato filio, ac filia nupta, uxorem habens.*

5) a verbis *Divisio principalis* &c. usque ad finem.

6) vid. p. 3. ad Div. 1. *Una et id* &c.; p. 4. ad c. 1. *Sese iam ne deos* &c. ibd. *Quos me incolumi*; p. 9 ad Div. 6. *Etiamsi tacent*; p. 9 ad Div. 7. *Ecquis unquam* &c. et *Non enim, inquit* &c. Hæc exempli loco sufficiunt; similia sunt per totam divinationem et reliquas orationes.

7) vid. p. 4. ad Div. 1. bis, p. 11 ad Div. 7, p. 14 ad Div. 10 &c.

8) ut Donati (ad Terent. Andr. 1, 1, 10. 1, 1, 46. ad Eun. Prolog. 20, 21, 23, 26, 40 &c.), Servii, cæt.

vel ex Cassiodori loco quodam patet [9]); et est et ipsa reprehensio et defensio ex superiorum commentariis repetita. De ipsa re antiquior est observatio Quintiliani IX, 4, 102, quem locum vulgo non recte intelligunt [1]). Quod grammaticus in loco, quem laudat, Ligarianæ 4, 11. spondei et bacchii clausulam esse credere videtur, id infantia eius, non ignorantia factum credo.

Sed longe maior pars scholiorum grammatica est, verba sententiasque explicans; atque hæc scholia ita exilia sunt, ita facilia exponunt, ita multa habent partim eorum lectorum, quibus scripta sunt, partim ipsius scriptoris imperitiæ documenta, ita pauca scite tradita, ut Donati ad Terentium et Servii commentariis longe postponenda videantur. Docentur, ut a verborum interpretatione ordiar, lectores, quid sit *præiudicium* (p. 7. Div. 4.), quid *arx* (p. 8. Div. 5.) quid *detrimento esse* (p. 8. Div. 4.) quid *ulciscor aliquem* (p. 9. ad. Div. 6.) quid *periculum sui facere* (p. 13. Div. 8.), *tempus quod mihi ab amicorum negotiis datur* esse *quod mihi*

---

9) de institut. div. script. c. 15. p. 464. extr. ed. Brossei 4to.

1) Locus interpungendus sic est: *bacchius et claudit et sibi iungitur:* Venenum timeres; *vel choreum et spondeum ante amat:* Ut venenum timeres. Sic concidit difficultas, quam Regius et Spalding in vulgatis inesse senserunt; *ut* est Ciceronis; bacchius ante se vel bacchium habet, si clausulam hanc esse dicis: vĕnēnūm tĭmērēs, vel, si *ut* clausulæ adnumeras, choreum et spondeum: ūt vĕnēnūm tĭmērēs.

licet per amicorum negotia (p. 15. Div. 13), quum dicatur *actor primarum*, intelligendum esse *partium*, quum actor *multum submittere*, intelligi *vocem* vel *gestum*. (p. 18. Div. 15.); sed plura enumerare non est opus; sunt enim cætera similia in reliquis libris; traditur ab hoc bello Asconio, quomodo declinetur *dium* (p. 59. ad Lib. 1, 19), *Pergæ* esse adverbium loci, nominativum *Perga* (p. 60. Lib. 1, 20.) *usu venisse* esse *contigisse* (p. 86. Lib. II., 5.) et multa alia non minus recondita; tum, quis verbornm ordo ineundus sit (*Ordo et sensus hic est* etc. p. 7 ad Div. 4, p. 9 ad Div. 7 etc.) Nec horum dissimilia sunt ea, quibus non tam vim vocabulorum singulorum, quam sententiam explicat, ut p. 3 ad Div. 1. *eos, qui adsint* intelligi *coronam populi circa subsellia stantem*, p. 6 ad Div. 3, *totum ordinem* esse *senatorium*, p. 13 ad Div. 9 *rationem vitæ reposcere* esse *accusatorem esse, suæ reddere, defensorem*; similes hæ notulæ *In unius potestate) Hortensii scilicet; Istius perditi lætitia) Verris; Hominis amplissimi gratulatio) C. Curionis* (p. 30 ad Act. 1, 8); sed nihil melius hac adnotatione (p. 47 ad Lib. 1, 2.) *Subauditur* accessi *ἀπὸ κοινοῦ ad omnia quibus hoc verbum in hac sententia convenit.* Atque hæc attuli, non ut Asconii non esse demonstrarem, sed ut plane ex infima ætate [2]). Verum non solum

---

2) Christiani hominis hæc esse, qui tum demum vixerit, quum omnis antiquæ religionis memoria sublata dudum esset, ostendit nota ad Div. 13. p. 15. *Ita mihi*

tenuia hæc sunt, sed multa perversa, ut quæ scripsit (p. 37 ad Act. I, 11) de *auctoritatibus* [3]), et (p. 40 ad Act. 1, 15, p. 86. ad Lib. II, 6.) de dicendi formula *ad urbem* [4]). Sed longe omnium stultissimum est, quod ad Divin. 15 (p. 17. 19.) ex Allieno subscriptore hominem alienum effecit, quum certe, ut cætera, quæ sunt apertissima, non videret, verum intelligere ex proximis illis posset *sic faciet Allienus* et *ipse Allienus*. Alia est non minus ridicula interpretatio verbi *poscunt* p. 64 ad Lib. 1, 26. ab ipso improbata, sed ex qua tamen, quam periti eius ætate interpretes Ciceronis essent, intelligi possit [5]). Non multo melius est, quod p. 53 ad Lib. 1, 9. *iudicari* putat esse *absolvi*, deinde *absolvi* exponit *iudicari*, quæ interpretatio ex quo alio errore orta sit, infra dicam. Mirifice interdum labitur superiorum grammaticorum de sin-

---

deos velim propitios) *Genus iurisiurandi id est, quod dicimus: Tantum mihi divinitas faveat, quantum verum est illud, quod dico tibi* &c.

3) vid. Schutz. ad Ascon. loc. T. V. p. 1. p. 288.

4) Mirifice Hotomanus Asconium tueri studet ad Act. 1. l. c., Pauli iurisconsulti verba a vera sententia in contrariam detorquens; cfr. Garat. ad Lib. II, 6. p. 248. Haun. Nec meliora, quæ de manubiis scripsit p. 81. ad Lib. 1, 60).

5) Non *potitant* scriptum fuisse, ut Schützius opinatur, apparet ex verbis *producta scilicet litera* o, quæ non addidisset, nisi literæ ipsæ eædem fuissent. Nihil de hac stultitia inaudierat Servius; vid. ad Virg. Æneid. 8, 614.

gulari usu vocabulorum quorundam observationes ad locos eos adhibens, a quibus plane abhorrent, ut p. 50 ad Lib. 1, 6. dubitat, *iustæ* inimicitiæ sintne *magnæ,* quod eam vim vocabuli *iniustus* in loco Virgiliano, quo utitur (Georg. III, 347), grammatici adnotarant; similia de voce *una* p. 64 ad Lib. 1, 25. scribit, de *iudicio suo* p. 26 ad Act. 1, 3; ad idem genus pertinet, quod p. 58 ad Lib. 1, 15 *miserum* interpretatur *innocentem*, laudans Catil. IV, 7, 14. Sed quam non fuerit antiqui sermonis peritus, ex eo quoque intelligi potest, quod interdum syntaxin sententiarum non perspexit, cuius rei exemplum notavi in epistola ad Orellium p. 107, in loco a cæteris quoque male vexato; aliud est in loco multo faciliori p. 73 ad Lib. 1, 44 in verbis *hoc populus Rom.' non manu vindicasset?* [6]). Itaque quum ita in verbis erraret, non est mirandum eum non raro Ciceroni alienam sententiam subiicere, ut ad Lib. 1, 4 p. 48. verba *ad alium iudicium* interpretatur de iudicio *populi et equitum Rom.*, quum apertum sit non de alio iudicum genere, sed de alia quæstione, peculatus, hæc dici. Eodem loco in verbis *alieno nomine* et se impedivit et recentiores interpretes decepit. Primum de Carbone interpretatur, quod sequitur Schütz, etsi falsum esse viderat iam Manutius; nam de ea pecunia iam dixit; nec sane eam alieno nomine accepit, quæstor Car-

---

6) P. Manutius in scholio ad hunc locum exclamat: Non tamen semper vigilas, Asconi.

bonis; deinde de pecunia ad frumentum in Sicilia emendum data, in quo plerique assentiuntur [7]); verum ne in ea quidem accipienda culpa erat, sed in intervertenda; et sane suo nomine accepit, Siciliæ prætor [8]). Ipsa, quæ Cicero addit, verba *quod priore actione didicistis* ostendunt tangi hoc loco rem, quam Cicero hac actione tractaturus non sit; quæ res sit, frustra quæritur, nisi quod Cicero insimulat Verrem aliquando alieno nomine abusum eam pecuniam accepisse, quæ ei solvi non debuisset. Ad Lib. 1, 31. p. 67. ad verba *Bellumne pop. Rom.* adnotat: *Sic enim ad Neronem scripserat Verres;* quis non videt, aberrare hominem? Cicero rem exaggerans, quærit, quo tam infesto animo Lampsaceni legatum pop. Rom. tam atrociter oppugnaverint; docet nullam aliam causam præter istius libidinem fuisse. Non rectiora sunt, quæ de Ciceronis itinere eiusque causa tradit Argum. Act. 1, p. 23, ut Garatonius intellexit [9]). Nihil tamen in Ciceronis interpretatione tam insulsum, quam quod de nobilissimo versu Virgiliano Eclog. IV, 12. posuit p. 36 ad Act. 1, 10, quem ille de Quintilis et Sextilis nominibus mutatis accipit [1]). Sed satis multa ignorantiæ docu-

---

[7]) Orta hinc est prava I. Fr. Gronovii coniectura *empti frumenti nomine*.

[8]) Hoc Menardus vidit; ipse non recte ad quæsturam Asiaticam traxit.

[9]) vid. Garat. ad Ascon. l. c. p. 109 ed. Haun.

[1]) Futile hoc commentum Pomponius Sabinus ad Virg.

menta hæc esse arbitror [2]). Duæ sunt autem res, in quibus extremæ ætatis grammaticorum et opera consumi et inscitia perspici solet, in etymologiis et in vocum discrimine constituendo. Utriusque generis satis multa in his scholiis exempla. Etymologiæ pleræque cum aliis communes, tres propriæ eæque valde lepidæ; *astutum ἀπὸ τοῦ ἄστεος* dici tradit, quasi urbanum [3]), *alacrem* a *lacero* quasi *non lacerum*, id est, "*cui sensus in loco quique suo vegeti sint et intenti* [4]); alios tamen *alacrem* festinantem ac properum dici putare, tanquam *alis acrem*; tum *compilare* esse *pilos pervellere*, sic fraudare furto, ut ne pili quidem in corpore relinquantur [5]). In verborum differentia multa ad eum tantum locum, in quo quum maxime versatur, accommodat, non ad universam verborum

---

l. c. laudat; Heynius eum ex pleniore Servio sumpsisse putat, quod is ex his commentariis editis sumpsit, (prodiit enim Pomponii commentarius primum 1487), miraturque talia Asconii ætate cuiquam in mentem venire potuisse.

2) Unum est, si Ciceronem spectes, non male observatum (nam de cæteris scriptoribus verum non est) de vocabulo *dies*, p. 25. ad Act. 1, 2. cfr. Serv. ad Æneid. II, 324. V, 783. Ruddim. Institt. 1. p. 21. Lips. Epistol. nostr. ad Orell. p. 119.

3) p. 38 ad Act. 1, 11.

4) p. 29 ad Act. 1, 6. Minus inepta Donati ratio ad Terent. Eunuch. II, 3, 11.

5) p. 56 ad Lib. 1, 13.

vim [6]), in aliis sunt quædam vera, etsi minus accurate posita, vulgaria omnia [7]). In nonnullis ipse plane incertus est, nec, quo modo rem complectatur, reperire potest, ut in *suscipio* et *recipio* [8]).

Postremo ut omnia ad Grammatici extremæ ætatis formam perficiendam adsint, ζητήσεις et λύσεις proponuntur, non sane ex doctrinæ exquisitæ

---

6) v. c. de *animadvertere* et *intelligere* p. 33 ad Act. 1, 9, (ubi non recta est Theodori Bezæ ratio ab Hotomano et cæteris recepta *rursus plus erit, quam intelligere, animadvertere*, ordine nimis exquisito; verum est, quod in superioribus edd. erat: *erit intelligere quam animadvertere. Rursus est contra*,) de *perdere* et *profligare* p. 16 Act. 1, 3. &c.

7) Exempla enumerare eo magis supersedeo, quod ex his scholiis excerpta inter scriptores de vocum differentiis posuit Dion. Gothofredus in Auctt. Ling. Lat. (p. 1362–1364. ed. Genev. ap. Lemaire 1585 et 1595.

8) p. 12 ad Div. 8, (qui locus in ed. 1, sic corruptus legitur: *Susceptam. suscipitur autem recipitur pars. suscipitur quod hinc pendet suscipitur. solum aliquid propter se recipitur.*) cfr. p. 13 et p. 84. (ad Lib. II, 1). Suscipitur, quicquid a nobis proficiscitur et quicquid nostræ rei est (itaque suscipimus etiam aliquid coacti), recipimus ea, quæ, quum proprie nostra non sint, demandata et tradita suscipimus. Itaque receptorum ratio aliis debetur. Aperta satis hæc sunt ex Cic. Div. 8, 25. de Orat. II, 24, 101, quem locum Scheller, apertissimorum soloecismorum patronus, in suspicionem vocabat, ut omne horum verborum discrimen tolleret. Adeo ille oderat, quicquid subtilius de proprietate sermonis disputabatur.

recessibus deprompta [9]). Ne illud quidem negligendum est, quod codice Ciceronis corrupto et interpolato usus est, sæpeque in criticis difficultatibus hæret. Memini, indignari Ciceronem, libros Latinos corrupte describi, Martialem idem de suis epigrammatis queri, apud Gellium de varietate scripturæ disputari; nec ignoro in principio prooemii Liviani emendationem factam Quintiliani tempore [1]); ac tamen varias lectiones adnotandi mos nisi in exquisita aliqua poetæ voce et ex iis in interpretando fluctuatio in huiusmodi quidem scriptis multo est recentior; huius autem rei multa vestigia in his scholiis exstant, ut p. 3 ad Div. 1 p. 33; Act. 1, 9; p. 43 Act. 1, 18; p. 56 Lib. 1, 12; p. 59 Lib. 1, 20; p. 62 Lib. 1, 23; p. 68 Lib. 1, 35; p. 79 Lib. 1, 57; p. 85 Lib. II, 4. Atque in nonnullis horum locorum tam aperte falsa est ea lectio, quam in suo codice reperit, ut et antiquo tempore omnes eam tanquam librarii mendam correcturi fuissent, et nunc omnes deseruerint; ut Lib. 1, 20, 52; 1, 57, 150 (*volebat;*) II, 4, 11; unius loci ab eo adnotata scriptura eiusmodi ut ex rei ignoratione et interpolatione orta putari debeat, Lib. 1, 23, 60, ubi ex *accepti* fecerunt *accepi*, tum ad id accommodaverunt *ab eo*. In

---

9) p. 30 ad Act. 1, 7; p. 39 ad Act. 1, 13; p. 43 ad Act. 1, 18; p. 79 ad Lib. 1, 56.

1) Martial. Epigr. II, 8, 1-4. Gell. Noctt. Att. 1, 7. IX, 14. XIII, 30. Quintil Institt. IX, 4, 74. cfr. ipsius Asconii adnotat. de qua dixi p. 66.

ipso autem principio Divinationis non dubito, quin deserenda sit ea lectio, quam in suo codice interpres habuit *descenderim*, præferendaque ea, quam alios sequi adnotavit, *descendere*; scio, acriter pro altera pugnare Muretum in Var. Lectt. XVII, 9; et tamen ita Ciceronem scribere non potuisse, contendo; nam neque *descenderim* tum dicendum erat, sed necessario *descendam*, quum in præteriti et præsentis temporis consilii diversitate mirandi causa insit; et, si ita Cicero accipi voluisset, ut Muretus accipi iubet, longe aliter sententias ad æqualitatem conformasset, (nunc enim longior et tracta prior illa *qui — neminem*,) et *nunc subito* scripsisset, (essent enim contraria *tot annos* et *nunc*, et ipse ita scripsit Muretus in exemplis, quæ finxit;) postremo non ita tanquam scopas dissolutas posuisset, *si quis forte miratur me*, si *me* ad præcedens verbum, non ad sequentem sententiam pertineret; sed *si quis me forte* aut simili ordine. Hæc ad speciem parva tantum apud me valent, ut, quum alioquin eas codd. lectiones fere semper repudiem, quæ e grammaticorum emendatione ortæ videntur, hoc loco, si coniectura est, (quod commentator non dicit, sed ita esse credo; et in potiori codd. familia alterum esse videtur,) tamen eam veram esse, alterumque propter vicina *defenderim* et *læserim* ab antiquissimo librario illatum putem. Sed hoc non tam ad commentatorem pertinet; illud gravius, quod in eius codice manifestam interpolationem tenemus in Lib. 1, 22, 60 (p. 62). Frustra enim verba *cum imperio ac se-*

curibus Wieling (Lect. iur. 1, 5) et Garatonius tueri student; quod ut possint, primum legatis imperium dant, nullo argumento probabili utentes, (neque enim, qui lictorem habet, continuo etiam cum imperio est,) deinde obliviscuntur, si id ita esset, non omissurum id Ciceronem fuisse in Lampsacenæ illius oppugnationis commemoratione; tum satis adparet, si hæc Cicero posuisset, non additurum fuisse, quæ multo minorem vim habent, *sumptu publico et legationis nomine.* Intelligitur, Ciceronem hic de legato, infra (IV, 4, 8) de prætore id dixisse, quod in utrumque conveniret; adnotata illa ab aliquo comparandi causa male in hunc locum illata esse. Neque sane improbare possum Ernestii suspicionem Lib. 1, 54, 142 de verbis *in bonis prædibus prædiisque*, etsi hæc in Asconii codice fuerunt [2]); quamquam ego non *bonis* delendum puto, sed, quum Cicero hic scripsisset vulgari loquendi ratione *in bonis vendendis* grammaticum aliquem ex iis, quæ sequuntur, adnotasse adpellationem in prædibus reipublicæ datis propriam; *bonorum* nomen in formula non fuisse, apparet ex eo quod Cicero, ubi maxime proprie dicendum erat, non ponit, sed bis *prædibus et prædiis populo cautum* dicit [3]).

---

2) vid. p. 77.

3) Apparet, quam antiqua sit in Ciceronis orationibus interpolatio; grammaticam dico, ex similium adnotatione et glossis singulorum verborum. Nam illas totarum sententiarum ornate et apte scriptarum et cum cæteris connexarum interpolationes, quas quidam sibi

Hæc autem ita dico, ut satis intelligam, in pluribus locis codices post hunc commentatorem et ex eius scholiis interpolatos esse; huiusmodi interpolationem tollendam esse ex Lib. 1, 35, 87. ipse commentarius ostendit; nam quum in eo ita scriptum sit *a Dianio ad Sinopem) Dianium Hispaniæ maritima civitas, Sinope Ponti est, ubi rex Mithridates erat*, adparet, in interpretis codice non fuisse, quæ a Lambino damnata recte Schütz

---

reperire videntur, velim, ipsi cogitent, a quibus hominibus, quo modo, quibus causis illatas putent; tum quid argumentis ex solo sensu depromptis tribuendum sit, considerent. Verrinarum lib. IV et V nuper expurgare studui in epist. ad Orellium; in extremo primo et secundo Verrinarum libro sunt corruptelæ aliquot tam antiquæ, ut ad eas sanandas vix nostri codd. sufficiant; vid. 1, 50, 130. (ubi lacuna est, quum hæc fere sententiæ forma fuisset: *Qua potestate iste permissa* [*ut usus sit*] *ex C. Fannio et ex Q. Tadio cognovistis; verumtamen* &c.; sed plura exciderunt; *verumtamen* est post plura interposita in ordinem redeuntis) 55, 143; 56, 147; 57, 150; (ubi ex Prisciano, quam sint codd. mendosi, perspicitur); II, 12, 31; II, 13, 34; (de quo loco dicam alibi). Quod in epistola ad Orell. p. 8 dixi, vix ullum melioris familiæ codicem extremam libri primi partem habere, est ea in Lallemandi cod. a Beckio et Orellio commemorato ad 1, 54, 142; 1, 57, 150; 1, 58, 151; sed ipsi meliores codd. ut ex Leidensis lectionibus intellexi, hic multo minus integri sunt quam in extremis libris; digni tamen, qui diligentius excutiantur.

delevit, quem hoc loco ab Orellio reprehensum non oportebat; recte quærit Lambinus, cui civi Romano illa nomina tum post flammam Sertoriani belli nuper exstinctam, Mithridatico etiamtum flagrante ignota fuerint. Itaque Cicero Lib. V, 57, 146 tanquam de notissimo loco scribit: *eos Sertorianos milites esse et a Dianio fugere dicebat.* Hoc loco additamentum illud mire vim orationis frangit [4]).

Doctrinam in hoc commentatore non fuisse, intellectum puto ex iis, quæ paulo ante exposita sunt de grammatica eius interpretatione; quanto autem in hac re inferior sit Donato et Servio, ne alia conquiram, ex scriptorum veterum usu apparet; quod hoc loco commemoro, quoniam in hi-

---

[4]) Simile ex commentario additamentum sublatum est ex 1, 44, 114. Confirmant hæc id, quod supra dixi, marginibus codicis alicuius Ciceroniani adscriptas has adnotationes fuisse. Occultior fraus nescio an lateat Lib. 1, 54, 141, ad quem locum in commentario p. 77. ita adnotatum est: *Ab eo mancipe, quem ipse apposuisset) Rabonio scilicet fabro. Veteratorium) acutum, callidum.* Mirum, unde iste faber exortus sit tam subito; ed. 1. habet: *Ab eo mancipe quem iste apposuisset habonio s. fabrum acutum callidum.* Omittitur *veteratorium;* illud *fabrum* nihil est aliud quam *vafrum* propter Germanicam pronuntiandi rationem corruptum; in cod. Huydecop. (de cæteris enim tacent) pro *tectum* est *verum;* Fuit, ni fallor, in interpretis codice: *nihil ab isto vafrum, nihil veteratorium exspectaveritis.*

storiæ institutorumque explicatione auctores nunquam laudavit; in rebus grammaticis duorum maxime utitur scriptorum auctoritate, eorum, quos post literarum eversionem solos fere cum Cicerone et Horatio in manibus hominum relictos et diligenter lectos scimus, Virgilii et Terentii. Hi enim fere tum in scholis regnabant, quod ex omnibus scholiastis Latinis intelligi potest [5]). Et hos tam sæpe citat, ut eum, quicquid haberet doctrinæ, non occultasse, appareat [6]). Præter hos bis laudat Sallustium, altero loco historiarum libros nunc deperditos, Plautum ter, Lucilium bis, Nævium semel, cuius versum notissimum vix ex ipsius libro sumpsit, sed ex superiorum grammaticorum commentariis; ipsius quoque Ciceronis locos aliquot, nullum ex iis libris, quos inter inferioris ætatis grammaticos rariores fuisse scimus [7]). Exilia sane hæc sunt veterum literarum vestigia; nihil omnino exquisite, nihil erudite observatum; ne unus quidem

---

5) Itaque Marius Victorinus in Ciceronis Topicis explicandis usus erat exemplis Ciceronis et Catonis, Terentii et Virgilii; vid. Boeth. Prooem. Lib. 1. in Cic. Top.

6) Vid. Ind. apud Fabric. Bibl. Lat. II p. 69 et 70. Ern., qui non omnino accuratus est.

7) Inter locos Ciceronis ab eo laudatos est pro Marcello 4, 12. (ad Div. 6. p. 9.) Hoc *notabile testimonium antiquissimi et doctissimi grammatici* (utor verbis Weiskii in Præmon. ad illam orat. p. 28.) iam vim suam amisit.

cæterorum oratorum locus cum Ciceronis verbis compositus. Ellendt Prolegg. ad Cic. Brut. p. XXIV. ita scribit, quasi Catonis et Gracchi orationum exemplis hunc commentatorem usum deprehenderit; verum id non est ita, potiusque in hac re clarissime patet id, quod dixi. Notavit Symmachus veterum oratorum morem deos præfandi laudato Catonis exemplo [8]). Servius et in Catonis et in Gracchi orationibus eiusmodi fere initia fuisse, scribit, et hinc petitam irrisionem Cæcilii a Cicerone in Divinat. c. 13. Commentarii scriptor universe veteres ita solitos dicere notat p. 16. Apparet, omisisse eum scriptorum nomina, quorum libri eius ætate non legerentur. Nam et hæc et alia habuit ex superiorum commentariis, quibus se usum sæpe significat, quum diversas sententias disputationesque commemoret [9]); ex iisque se sua in rebus paulo difficilioribus simpliciter transscripsisse pæne verbis confitetur [1]). Fuerunt autem grammaticorum in Ciceronis scripta commentarii multo sine dubio doctiores et elegantiores, Capri et Vulcatii, et sine dubio aliorum [2]).

---

8) Symmach. Ep. III, 44. Serv. ad Æneid. XI, 301.

9) Vid. p. 3 ad Div. 1, p. 7 et 8 ad Div. 4, p. 8 ad Div 5, p. 10 ad Div. 7, p. 13 ad Div. 10, p. 17 et 18 ad Div. 15, &c.

1) p. 53. ad Lib. 1, 9. *Alii sic adnotant* et paulo post: *Alii sic*

2) De Capro vid. Agroet. p. 2265 Putsch.; Hieronym. adv. Rufin. II, c. 2. T. II, 497 Val. fol. Capri com-

Atque hactenus de rebus grammaticis diximus, quod genus a vero Asconio alienum est; deinceps exponendum est, quemadmodum in historia et in institutis antiquis exponendis versatus sit. Non exiguus est igitur adnotationum numerus ad historiam pertinentium; sunt in his nonnulla, quae apud alios tradita legi, non memini, ut p. 4 ad Div. 1, p. 85 ad Lib. II, 3 de Lepidi accusatoribus, p. 11 ad Div. 7. de Terentio Varrone, (quae adnotatio ab Hotomano corrupta est [3]), p. 38 ad Act. 1, 13 de Q. Calidio, M. oratoris patre ex praetura Hispaniensi a Q. Gallio accusato [4]), p. 30 ad Act. 1, 8. de comitiis consularibus a. 684. VI Cal. Aug. habitis (nam de accusatione coepta Nonis Aug. ex

---

mentarios commemorat; sed ibi aliud opus grammaticum intelligi potest; de Vulcatio vid. Hieronym. adv. Rufin. 1, 4, p. 472.

3) In ed. I. legitur: *legitima * Varro consobrinus frater huic censi;* apertum est, non Ciceronis, sed Hortensii propinquum fuisse, quem iudicibus corruptis ab Hortensio per summam infamiam periculo ereptum Cicero queratur; recte igitur et ad editionis primae vestigia proxime accedentes Robortellus (Lib. II Emendatt. 3, p. 66.) et Popma legunt: *Terentius Varro consobrinus frater Hortensii.* De Varrone Hortensii fratre (consobrino) testis etiam Acron ad Horat. Sat. II, 1, 49; quamquam apud eum et Porphyrionem multae in his turbae, ita tamen ut eos de Turio in causa Varronis iudice Hortensio defendente, ab antiquioribus accepisse pateat; cuius nomen, ut in Horatii multis codd., sic in hoc commentario in *Furium* corruptum videtur.

4) cfr. Ellendt Prolegg. ad Cic. Brut. CVIII.

Ciceronis verbis constat [5]), quæ nisi ex antiquis et bonis fontibus derivata esse non possunt; huiusmodi sunt enim res, quas verus Asconius ex actis et aliunde adnotat. Sunt alia non apud solum hunc interpretem posita, neque tamen vulgaria, ut quæ de fama de Ciceronis in Verris causa prævaricatione tradit p. 8 ad Div. 5 et p. 43 ad Act. 1, 18 [6]), quam non inter grammaticos natam ēsse,

---

5) Non inscita est Schützii observatio, Asconium scribere debuisse *Cal. Sext.* et *Non. Sext.* Scilicet ita verus Asconius scripsisset; vid. Argum. Scaur. p. 131.

6) Hic locus in edit 1. sic legitur: *nam quamvis sextertium septuagesies tantum dupli nomine exigi iussus est. ad gratiam ne hòrtensii an suam an etiam convenientia Ciceronis parum comperimus*, quæ Hotem. non recte ita supplevit, ut dicatur, quamvis octingenties dupli nomine exactum sit; tamen *tantummodo* quadringenties repetitum esse; qui poterat plus? Dixit scholiastes minus exactum esse, quam duplum eius, quod in oratione repetatur. Nec sane *usus* fuit exigere certam summam. Fuit fere, ut et has quisquilias emendemus: *nam quamvis sestertium* [*quadringenties repetitum est, tamen sestertium*] *septingenties* (sic enim sane legendum est) *tantum dupli nomine exigi iussus est*, sc. Verres. Sic enim loquebantur extrema ætate *Verres hanc summam exigitur, exigi iubetur*, reducto, ut in aliis, antiquissimi temporis loquendi usu, de quo vid. Plaut. Trin. II, 4, 6, Gell. qui Cæcil. Metell. et Quadrigarium laudat, XV, 14, Non. Marcell. p. 294. Foedus in his est error apud Schell. Lexic. p. 3524. Ex recentiori ætate vid. Cod. Justin. Lib. II, 3, 18. (*ne alter pro altero exigatur*) Cassiod. Varr. XII, 2 p. 388.

Plutarchus fidem facit [7]); de Albinovano p. 57 ad Lib. 1, 14 [8]); de L. Magio et L. Fannio p. 67 ad Lib. 1, 34 [9]); de crimine, quo P. Furius ex Lusitania accusatus sit, p. 22 ad Div. 20; de M. Terentio Varrone Lucullo in Macèdonia Curionis successore p. 88. ad Lib. II, 9. Bona etiam nota de Fornice Fabiano p. 30 ad Act. 1, 7 [1]).

Sed multum fallatur, qui ex his concludat, hunc interpretem antiquæ historiæ vel mediocriter peritum fuisse. Ordine singula persequar. Primum auctoritate, ut iam significavi, non dico Actorum aut scriptorum Ciceroni æqualium aut proximorum, sed nulla omnino hæc confirmavit, neque ullam rem subtilius exsecutus est, unde vel tenuissima

---

7) vit. Cic. 8; in summa discrepat.

8) cfr. Appian. Bell. civ. 1, 60. 1, 62. maxime autem 1, 91.

9) Eos Appian. Mithridat. 68 a Sertorio ad Mithridatem missos narrat, Orosius VI, 2 a Fimbriæ exercitu ad Mithridatem transisse; idem fere scholiastes tradidisse videtur; nam pro *transfugæ facti a Mariano exercitu* in ed. I est: *transfugato ualeriano lexercitu;* ex quo facio *transfugæ a Val. ex.*, ut intelligatur *L. Valerii Flacci* exercitus, cui postea Fimbria præfuit. Id si verum est, post finitum bellum Mithridaticum primum in provinciam Rom. redierint, necesse est; sed obscura res est. cfr. Wessel. ad Simson. Chron. ad a. 3931.

1) Quod Fabius *Allobrox* appellatur pro Allobrogico, culpa est editorum non recte supplentium lacunam ed. I, ubi est *qui devictis allobrogibus nominatus est.*

suspicio esse possit; eum ad has res tractandas ipsum in se aliquid habuisse præsidii; deinde ne in iis quidem, quæ recte tradit, ordine et accurate omnia exponit, ut quæ de Marcellis habet p. 8 ad Div. 4 eiusmodi sunt, ut ex libro hominis Ciceronis temporibus proximi derivata esse appareat, ac tamen ita neque nominibus neque aliis notis distincta, ut hominem negligenter excerpentem agnoscamus, non scriptorem, quæ ipse repererit, tradentem; similia, quæ de tribunis, quorum opera in tribunatus splendore restituendo versata est, tradidit p. 5 ad Div. 3. Ubi autem diversa tradita reperiebat, quum ipse nihil afferre posset, simpliciter brevissime et nudis nominibus positis enumeravit, quid alii crediderint, ut p. 26 ad Act. 1, 2 et 3, ubi eum hæc ex aliis commentariis descripsisse, patet ex Anonymi scholiis, in quibus idem, quod apud illum, Oppii nomen est, (ad c. 2 male scriptum *Opimius;*) in accusatore novæ turbæ. Verum hæc minora; sed in rebus hominibusque notissimis ita hic interpres erravit, ut eum ipsum plane nihil vidisse, ac tamen tenui quadam auditiuncula adspersum fuisse rerum gestarum appareat, easque aut ipsum confudisse aut iam confusas accepisse. Exempla ponam perspicua. Ad Div. 7 p. 11 et ad Lib. 1, 15 p. 58, quum de duobus Dolabellis quædam accepisset, ita confudit, ut Dolabellæ consulari et triumphali, quem C. Cæsar adolescens accusavit nec damnare potuit, Scaurum accusatorem daret, alteri ex Cilicia administrata damnato Cæsarem, quum contra esse notissimum sit, nihilque Cæsaris accu-

satione illustrius, verumque ex Cic. in Verr. 1, 38, 97 intelligere potuisset [2]). Atque in hac re Perizonius graviter Asconium accusat, quum verus Asconius omnia recte tradat [3]). P. 21 ad Div. 17 de Q. Mucio Scævola exiliter admodum adnotans ad P. Rutilium Rufum eiusque damnationem deflectit, quem Scævolæ quæstorem et ex quæstura damnatum dicit, quum Scævolæ legatus consularis fuerit et post legationem damnatus sit [4]). Hic quoque nomina tenuit, rerum ordinem perturbavit. P. 42 ad Act. 1, 18 de L. et M. Lucullorum [5]) accusatione falsa narrat; nam neque ullus his temporibus L. Cotta accusatus est, et una erat cele-

---

2) vid. Manut. ad Div. 7. Hotom. ad Cic. pro Quint. 8. Pigh. Ann. p. 280 et 286. Perizon. Animadverss. hist. p. 56. Harl. &c.

3) ad Cic. pro Scauro p. 137. p. 1013. Gr. Schütz in altero loco interpolatum Asconii commentarium putat, quum priorem tacitus præterisset. Quod in commentario p. 66 ad Lib. 1, 30 recte Dolabellæ Ciliciensis accusator Scaurus dicitur, ea lectio ab Hotomano est; in superioribus edd. est: *accusatores scilicet causarum.*

4) Vales. ad Dion. Cass. Excerpt. Peiresc. n. CVI Reim. Perizon. Animadverss. hist. p. 60. Garat. ad Lib. 1, 4, p. 160 Haun. Pighii, ut Garatonius appellat, somnia nimis secure secutus est Ellendt Prolegg. ad Brut. p. L. Rectiora sequitur Beier ad Cic. Fragm. Oratt. p. 132.

5) In ed 1 est *L. Lucilius et item M. Licinius.* Recte Garatonius *Lucullos*, non *Licinios* appellari vult.

bris Lucullorum coniuncta accusatio, Servilii Auguris, inimici paterni [6]). Videtur interpres aut ante eum alius id quod ad Divin. 21. de L. Cotta a P. Africano accusato legerat adnotatum, huc nescio quo errore transtulisse. De ipsa illa Africani accusatione dubitanter interpretem scribere mireris [7]). P. 62 ad Lib. 1, 23 confudit nobilissimum oratorem, M. Antonium, qui ibi intelligitur, cum filio, eo, qui infinitum imperium oræ maritimæ nactus est [8]); de hoc autem exposuit p. 20 ad Divin. 17 et p. 85 ad Lib. II, 3; ex iis, quæ his locis repererat notata, nonnulla ad illum locum transtulit. Satis ex his, quæ adtuli, adparere videtur, quod iam in singulis significavi, quum sint in hoc commentario aliqua necessario ad hominum a Ciceronis aetate non valde remotorum auctoritatem referenda, alia exilia et brevia, sed

---

6) Plutarch. Lucull. 1. Interpp. ad Cic. Acad. II, 1, 1, ad Cic. de Offic. II, 14, 50, Spald. ad Quintil. XII, 7, 4.

7) ad Divin. 21. p. 22. *hunc P. Africanus post* (ed. 1 *ante*) *secundum consulatum et censuram* DICITUR *accusasse*. Id sane dicit Cicero ipso illo loco.

8) Scio Robortellum II Emendd. 7 p. 70 hæc corrigere velle, graviter Manutium increpantem, qui reprehendere Asconium ausus sit. Ne Garat. quidem a mutando abstinet; sed ea profecto vis est, non solum addere patris adpellationem, sed ex tribus nominativis genitivos efficere; et cur, si patrem hic significari interpres intellexisset, de eo ne verbum quidem fecisset, de filio tam multa dixisset?

tamen vera et non omnino vulgaria, multa autem ita, ut vidimus, confusa et perturbata, fuisse antiqui alicuius hominis scriptum, ex quo hæc a grammaticis excerpta sint, et ad infimam ætatem propagata, ita ut transscribendo, contrahendo, mutando multa corrumperentur; neque enim ipsum illum fontem hic interpres adiit, sed ex turbidis aliorum rivulis hausit, ut tum ex illa diversarum sententiarum commemoratione p. 26 ad Act. 1, 2 et 3, intelligitur, tum ex ipsa ieiunitate eorum, quæ hic supersunt, in quibus fere omnia doctioris et copiosioris expositionis vestigia sublata sunt, et frequentibus erroribus. Atque hunc fontem ipsos Asconii veros commentarios fuisse, vix dubium mihi videtur. Quum enim docti et antiqui et grammaticis noti hominis exstaret rerum ad historiam pertinentium in Ciceronis orationibus enarratio, ne fieri quidem potuisse videtur, ut non hoc duce in hoc genere inferioris ætatis grammatici uterentur. Sunt autem aliqua, quæ non ex eorum, quæ a superioribus tradita erant, perturbatione sed ex ipsorum recentiorum hominum coniecturis orta videntur, ut quæ ad Act. 1, 16 p. 41 scripta sunt ab interprete de Cn. Dolabella [9]), magis etiam, quæ p. 22 ad Div. 21. de P. Lentulo, principe senatus: *Hic est* IGITUR *Lentuli Suræ pater in carcere strangulati propter coniurationem;* avum fuisse, Cicero, Val. Maxim., Dio Cass. testantur [1]).

---

9) vid. Manut. et Garat. ad h. l.

1) Cic. in Catil. III, 5, 10. IV, 6, 13. Val. Max. V, 3,

Ad hoc genus pertinere mihi videtur error interpretis, quo nuper iuris consultus doctus, Klenzius, deceptus legem Aciliam de repetundis ita a Cicerone et Asconio commemorari scripsit, ut, qua ratione hæc lex Servilia prior putari potuerit, non intelligeret [2]). De qua re pauca dicam, non multum ab iis diversa, quæ iam Ernestius exposuit. Ex priore Ciceronis loco Act. 1, 17, 51. nihil omnino de ætate legis definiri potest. Altero loco, Lib. 1, 9, 26. comperendinationem, quam Hortensius a Cicerone tolli querebatur, accusatoris, non rei causa institutam dixit, ut, quæ a defensore priore actione dicta essent, coarguere posset [3]). To-

---

Rom. 2. Dio. Cass. XLVI. p. 463 ed. Reim. Sigonii et Robortelli de hoc loco coniecturam prætermitto.

2) Fragment. leg. Servil. p. XI, not. 41. Priorem putarunt post Manutium Ferratius (Epp. 1, 10 p. 40,) Ernestius (Ind. leg. v. *Acilia*,) Garatonius (ad Lib. I in Verr. 9 p. 164 Haun.) Iurisconsulti post Hotomanum fere alteram sententiam secuti videntur, ut Heinecc. Antiqq. IV, 18, 75.

3) Ex hoc loco, ut id primum removeam, interpres p. 53. efficit, post comperendinationem priorem dixisse defensorem, deinde accusatorem, ita ut duæ defensiones inter duas accusationes concluderentur, eaque sententia propagata est ad scriptores de ordine iudiciorum, ut ad Heinecc. Antiqq. IV, 18 §. 30, quem totum errorem Ferratius Lib. 1. ep. 9, p. 36 sq. ita sustulit, ut contra dici nihil queat. Vel hoc documento sit, veterem iudiciorum formam commentarii scriptorem ignorasse, et, quæ probabilia viderentur, coniectasse.

tum autem hoc comperendinationis genus in his causis primum constitutum esse lege Servilii Glauciæ; ante vel iudicari primo potuisse vel amplius pronuntiari; hanc legem molliorem fuisse; ita enim vel statim absolutos esse reos, aut, si minus iudices ad absolvendum inclinarent, nihilo magis cito condemnatos esse; ampliatione enim idem aut etiam plus consecutos esse, quam comperendinatione; (poterant enim sæpius ampliari [4]). Se igitur sua ratione ad veterem illam mollioremque legem redire. *Ego tibi*, inquit, *illam Aciliam legem restituo*. Restituere se dicit legem, quæ fuisset ante comperendinationem a Servilio institutam; prior est igitur Acilia [5]). Nam ex latorum temporibus nihil admodum cum Ferratio [6]) concluserim. At in legis Serviliæ fragmentis mentio fit legis Calpurniæ et Juniæ [7]), Aciliæ nulla. Eius rei causam esse puto, quod ex illis legibus relictum sit privati quoddam iudicii genus [8]). Erravit igitur interpres,

---

[4]) Callida est hæc legis interpretatio; fateor; sed Cicero suæ causæ patrocinatur.

[5]) Miror Hotomanum, qui maxime propter Asconium Aciliam inferiorem putabat, ideoque apud Ciceronem Cæciliam (commentitiam; vid. Klenze p. XI. not. 40.) substituebat, non meminisse, ipsam adnotationem ostendere, interpretem Aciliam hoc loco commemoratam legisse.

[6]) l. c. p. 40.

[7]) cap. 8. pag. 40 apud Klenz., cap. 22. p. 88.

[8]) vid. Klenz. Prolegg. p. XII, ad ipsam legem p. 40.

quum lege Acilia comperendinationem sublatam dixit, quæ ante legem Serviliam non fuit [9]). Verum hoc totum non ab antiquis traditum posuit, sed ipse coniectura effecit ex Ciceronis verbis (Lib. 1, 9, 26) *qua lege multi semel accusati* etc. quum id, quod factum aliquando esset, fieri necessario illa lege putaret; eodemque errore sublatam lege Acilia ampliandi potestatem somniavit, contra rei rationem — (quis enim putet, nondum constituta comperendinatione, iudices coactos, ut necessario primo coetu pronuntiarent?) — et contra Ciceronis testimonium, quod verbis *vel tarde condemnari* continetur. [1]). Tum non intellectis verbis Ciceronis oratorie legis commoda exaggerantis ita scripsit, quasi olim nemo primo damnari potuerit, sed, qui damnandi, iidem semper ampliandi fuerint [2]). Sed satis multa de rebus historicis, ut

---

9) p. 54 ad Lib. 1, 9. cfr. p. 41 ad Act. 1, 17.

1) Contra comperendinatione instituta ampliationem sublatam esse, recte Klenzius opinatur p. 58 not. 25, p. 64 not. 1. Ideo Cicero l. c. *ita mittam in consilium, ut* ETIAMSI *lex ampliandi* FACIAT *potestatem, tamen* &c., ideo *atrocem* legem Corneliam vocat, quum non de poena sed de iudicii forma loquatur. Videntur legum latores, et subitæ reorum oppressioni et repetitis ampliationibus (ut in Cotta septies ampliato, vid. Val. Max. VIII, 1, 11,) obviam ire voluisse.

2) p. 53 ad Lib. 1, 9. *aut statim sententia dicebatur si absolvendus esset reus, aut amplius pronuntiabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent iudices, Non liquet, hoc est, obscura causa est; itaque ea pars*

iam totus hic locus relinquendus videatur, si ex Ciceronis ætatis historia M. Lollium Palicanum sustulero, ex loco aliquo huius commentarii illatum. M. Palicanus, quem Pighius et post eum cæteri tribunum faciunt L. Gellio et Cn. Lentulo coss. 682., mihi tribunus fuisse videtur Cn. Aufidio P. Lentulo coss. a. 683. Quum enim a. 682. aliquanto ante Kal. Dec. Romæ in senatu de causa Sthenii ob Verris iniuriam ex Sicilia profugi actum esset, Verres ipsis Cal. Decembr. Sthenium absentem Syracusis damnavit (Cic. in Verr. II, 40, 96, 97, 98.) Postea quum comperisset Palicanum tribunum in concione questum de ea re esse, et Ciceronem Sthenii causam apud collegium tribunorum egisse, pertimuit. Hæc igitur et a Palicano et a Cicerone post Nonas Decembres mihi acta videntur, ut Palicanus tribunatum inierit Nonis Decemb. a. 682 [3]). Hunc interpres post Sicinium et Quintium in tribunitia potestate restituenda elaborasse tradit ad. Div. 3 p. 5; et ipse Cicero (Brut. 62, 223) inter homines concionibus aptos post L. Quintium

interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas. In his extremis novus error. Mirifice hæc omnia asteriscis suis tuetur Robortellus Adnotatt. II, 25 p. 91 Grüt.

3) Convenit, quod p. 40 ad Act. 1, 15 ab interprete Palicanus tribunus videtur appellari quo tempore Cn. Pompeius primam ad urbem concionem habuerit, quum ex Hispania redisset. Sed locus mancus videtur, et in ed. I est *publicano tr. pl.*

recenset. Recte igitur ad hunc referunt Sallustii verba a Quintiliano IV, 2, 2. laudata, ubi M. Acilius Palicanus appellatur. Sed in commentario ad Lib. 1, 47. p. 75 M. Lollius Palicanus trib. pleb. civem a Verre, prætore urbano (a. 680), verberatum in concionem produxisse dicitur. Hunc Spalding et Ellendt ad Cic. Brut. l. c. p. 162 (nam cæteri confundunt), quod idem a. 680 et 683 tribunus non fuerit, ab altero distinguunt. Sed si duo M. Palicani intra tam breve tempus tribuni pl. fuissent, profecto Cicero in Bruto, utrum commemoraret, significasset. Et est in Asconii ed. 1. *M. Jolius Palicanus*, ut fere æque facile *Acilius*, ac *Lollius* fieri possit; sed restat in tempore difficultas. Scilicet accidit interpreti, quod in aliis rebus supra ostendi accidisse. Commemorari apud Ciceronem tribunum videbat nomine non indicato; bis porro apud superiores grammaticos Palicanum nominatum meminerat, eumque hominem quem Verres iniuria affecisset, defendisse, ex loco Cic. II, 41 intelligebat; itaque illum altero quoque loco significari putavit. Error in nomine ipsiusne sit an librarii recentioris, incertum est. Quod Ellendt vix hunc Palicanum a. 687. C. Pisonis comitia habentis constantia a consulatu deiectum putat, quod hic non legitimus ei consulatus petendi annus fuerit, non attendit, ea, quæ Valer. Max. III, 8 Rom. 3 narrat, impetu plebis et vi gesta dici. Restat M. Lollius Palicanus consul 733, qui cognomen nescio quibus Horatii editoribus debet. Apud antiquos scriptores, apud eos, qui fastos

ordinarunt, apud Velleii interpretes, apud Norisium denique, qui de eo accuratissime dixit [4]), nullum cognominis vestigium.

Illud quoque declarandum est, cuiusmodi sint, quæ de more institutisque antiquorum in his scholiis exponuntur, sed videor iam mihi in his paulo brevior esse posse [5]). Primum, quæ traduntur, pertinent fere ad res notas et vulgares, exiliterque admodum exponuntur, ut quæ de quæstura narrantur p. 14 ad Div. 10, (in quibus graviter errat quasi qui iam senatores essent, quæstores fierent,) de indice p. 15 ad Div 11, de primarum et secundarum actore p. 18 ad Div. 15, de subscriptore p. 17 ad Div. 15, de comitiis p. 30 ad Act. 1, 6 (ubi quæstoriorum oblitus est,) de ratione cives appellandi p. 32 ad Act. 1, 8; memorabile documentum, quam recentis et indocti grammatici hæc sint, est in nota p. 73 ad Lib. 1, 44 de togæ usu, in qua vulgatissima re satis graves errores commisit [6]). Nihil est ex antiquiorum scriptis de re paulo obscuriore, de more minus noto observatum, qualia multa apud Servium sunt. Neque enim mihi huiusmodi quidquam in iis esse videtur, quæ de potestate censoria ita tradidit, ut nihil de ea

4) Cenotaph. Pisan. Dissert. II, c. 14, (Opp. Ver. 1729. T. III. p. 402.)

5) Non puto iam controversiam esse sintne hæc Asconii necne; grammatici paulo doctioris, an plane imperiti sint, quæritur.

6) Vid. Manut., Menard., Garat.

tenuisse videatur præter ea, quæ vulgatissima erant [7]). In multis autem rebus ita errat, ut plane appareat eum nihil præter tenuem quandam et confusam de veteribus institutis auditionem accepisse, sæpeque in densis tenebris coniectura parum felici usum esse. Ut a parvis ordiar, p. 14 ad Div. 10, si nihil aliud [8]), pecuarios pro scripturariis posuit;

) Iärcke (D. censor. Strafrecht p. 57. not. 14) Asconium hunc laudat, quod discriminis patriciorum et plebeiorum rationem habuerit, quum de patriciis nihil omnino dicat, senatoribus et equitibus plebeios adiungat, et in eo quoque fallatur, quod senatores et equites non ærarios factos putat. Niebuhr, V. Cl., quid proprii rectique in hac nota ad tributum pertinens inesse iudicarit (Hist. Rom. I p. 524 not. ed. 3. p. 492 ed. 2.) non satis adsequor, nisi quod interpretem existimare videtur tributum in capita ad solos ærarios ita referre, ut ad cæteros cives nihil pertineat; verum et in vulgata lectione et in ea, quæ est in ed. I, (*non esset civis tantum. tantummodo ut pro capite suo tributi nomine æra præberet;* Niebuhr ex cod. Laurent. plut. LIV, 27. fere eadem adfert; nam *tributi nomine* errore omissa puto;) — in utraque, inquam, exceptio quædam indicatur, ut interpretis sententia sit, reliquo civis iure privatum, tributum tamen pro capite pependisse. Si id spectat, quod tribu motos et ærarios factos eosdem videtur significare, ita de hac re interpres scripsit, ut vix videatur ipse eam significationem intellexisse, quum tribus ne nomen quidem ponat.

8) in ed. 1. est: *Mancipes sunt publicanorum principes Romani homines qui questus sui causa sic decumas redimunt sic pastum aut pecura publica prætorii aut*

p. 18 ad Div. 15 quaestorum quaedam iudicia commentus est, et ad ipsa tribunalia subsellia fuisse oblitus est, unde mira exstitit interpretatio; p. 65 ad Lib. 1, 28 *accensum* magistratibus apparentem cum militum genere confudit, commentariensemque inter eos, quorum nomina a militia legionaria traducta sint, numeravit; p. 82 ad Lib. 1, 61 de decuria honestiorum et centuria inferiorum somniavit. Gravius p. 53 ad Lib. 1, 9 lapsus est in iis, quae de ampliatione et de comperendinatione dixit, quae quam sint perturbata, dictum iam est; ipse se, quae apud alios tradita reperisset, excerpsisse, indicat; ex quibus aliquis imperite ad iudicium publicum ex lege Cornelia traduxit, quae apud iurisconsultum aliquem de comperendinatione in antiquissima sacramenti actione legerat [9]). Similia sunt, quae de *censis* et *non censis* in interpretatione loci de lege Voconia Lib. 1, 42. p. 72 perversissima posuit, quum tamen alios id sensisse tradat, quod verum est; adeo ipse nihil videbat; atque ipsam legem ad filiarum tantum hereditates refert, videlicet quod in

---

pecuarii quorum ratio scriptura dicitur; et mancipes principes publicanorum sine causa adpellat et pecora publica redempta videtur putare.

9) Adeo sunt similia Gaii verba IV, §. 15, ut recte Heffter ad eum libr. p. VIII. aut eius aut similis scriptoris locum eum, qui haec notaverit, ob oculos habuisse statuat; putat igitur a grammatico aliquo Asconianis addita. Unum recte vidit Robortellus in hac adnotatione, tertiam interpretationem mancam esse.

Ciceronis loco filia commemoratur. Sed de his ne plura dicam facit egregia Savignii disputatio [1]), a quo in una summa lege præstituta dissentio, quod is, ut Dionis Cassii et huius interpretis fidem confirmet, in Gaii verbis ad eam confugit interpretationem, quam ipse sentiat vix probari posse [2]), ut millia æris de sestertiis accipiantnr; omnino in eius ætatis legibus assium, non sestertiorum numeratio recepta fuisse videtur. Æris quoque vocabulo utitur Cicero de rep. III, 10. Dio Cassius in lege iam Gellii ætate obsoleta facile errare potuit; nec summa a Gaio posita pro illorum temporum ratione nimis exigua videtur. Sed plura ab aliis animadversa colligere opus non est; præstat errorem ex huius interpretis notula ad omnes recentiores propagatum in re iudiciaria tollere, in quo veniam a iurisconsultis mihi datum iri spero, quod in eorum campum philologus ingrediar; est enim hoc quasi confinium utrisque commune. De *iudice quæstionis* locus est Ciceronis Lib. I in Verr. c. 61. ex eo difficilior, quod mutilus est. Ad eum ita hic interpres adnotavit, ut Q. Curtium in Verris ipsius iudicio, cui prætor Glabrio præfuit, iudicem quæstionis fuisse significaret, eumque malos et improbos homines subsortitum esse; postea autem ipsum a Cicerone reiectum esse. Recentiores autem, etsi in multis fluctuant, in eo tamen hunc interpretem secuti consentiunt, iudicem quæstionis

---

1) Ueber die lex Voconia in scriptis Acad. Berol. a. 1820–1821. p. 219 sq., maxime p. 226. 227.

2) p. 224.

adiutorem quendam prætoris in iudicio exercendo fuisse; adiiciunt nonnulli, aliquando ipsum per se lege quæsisse [3]). Ante omnia, quod nondum factum a quoquam est, colligendum in unum est, quicquid est apud scriptores huius rei mentionis. Pro Sext. Rosc. 4, 11. Cicero M. Fannium, qui tum *prætor* de sicariis quærebat, ante eidem quæstioni *iudicem* præfuisse dicit. Lib. 1 in Verr. 61, 158 sperasse Verrem narrat, fore, ut, qualis in Oppianici iudicio fuisset iudicum subsortitio, talis in suo iudicio fieret per Q. Curtium, quæstionis iudicem; (de reliqua parte eius loci postea videbimus.) Pro Cluent. 33, 89 hæc habet: *Condemnatus est* C. *Junius, qui ei quæstioni* (qua Oppianicus damnatus erat) *præfuerat; adde etiam illud, si placet: tum est condemnatus, quum esset iudex*

---

3) Disputarunt de iudice quæstionis Sigon. de Iudic. II, 4. p. 1744. (Græv. Thes. Antiqq. Rom. II.) Manut. ad Cic. pro Rosc. Amer. 4. Ger. Noodt de iurisdict. et imper. II, 5 p. 123 (Opp. ed. Lugd. B. 1735. f.) Schulting ad Collation. Leg. Mos. et Rom. 1, 3 (in Iurisprud. Anteiust. p. 728 ed. Lips. 1737.) Heinecc. Antiqq. IV, 18, 15. Ernest. Clav. Cic. v. *Quæstio*. Ferratius Epp. I, 4 et 15. Garaton. ad Act. I in Verr. 13, ad Lib. I, 61, et copiose in excursu ad Cic. pro Cluent. 53 et 54. p. (ed. Neapol T. IV.) 486 sq. Quid quisque horum senserit, exponere nostrum non est. Grucchium, Robortellum, Siccamam, Beaufort prætermitto, nec Hotomanum moror, prætorem et iudicem quæstionis confundentem (ad Cic. pro Rosc. Amer. 4.)

quæstionis. Non modo causæ, sed ne legi quidem quidquam per tribunum plebis laxamenti datum est. Eodem capite paulo post Junium lege quæsisse dicit; damnatum esse, quod in legem non iurasset et quod C. Verres prætor urbanus subsortitionem eius in suo codice non habuisset; c. 20, 55 idem Junius quæsitor appellatur, quæsisseque ab reo dicitur, clam an palam de se sententiam ferri vellet; c. 27, 74. C. Junio, iudici quæstionis, convicium factum a patrono rei dicitur, ne sine iudice quodam in consilium iretur; c. 29, 79 C. Junius, qui quæstioni illi præfuerat, *homo ædilitius iam prætor opinionibus hominum constitutus* appellatur. In eadem oratione c. 53, 147 iam non de Oppianici, sed de ipsius Cluentii causa disputans, Q. Nasonem ita adpellat, ut eum iudices coercere dicat; c. 54, 148 his verbis utitur: *Jubet lex ea, qua lege hæc quæstio constituta est, iudicem quæstionis, hoc est, Q. Voconium, cum iis iudicibus, qui ei obvenerint (vos appellat, iudices,) quærere de veneno* [4]. In Vatin. 14, 34. Cicero, quum Vatinius suum iudicium disturbaret, iudices quæstionum de proximis tribunalibus esse depulsos

[4]) Summa iniuria hic verba aliquot in suspicionem vocata sunt; *iudicem quæstionis, hoc est* omittuntur in quattuor codd. Oxx. propter *est* proxime præcedens. Cicero legis verba ponit, deinde ad hanc causam accommodat. Schützium videntur offendisse voces *hoc est*, quas sæpe, ubi non interpretationem nudam adnectant, sed partem sententiæ et argumentationis necessariam, pravis de interpolatione suspicionibus locum dedisse, in Cic. libris de finibns edendis ostendam.

dicit. In Bruto denique, 76, 264. de C. Visellio Varrone dicens *Is*, inquit, *cum post curulem ædilitatem iudex quæstionis esset, est mortuus.* Hæc ex Cicerone. Suetonium quoque iudicis quæstionis meminisse in Jul. c. 11 olim putabant, quem locum nunc recte omnes aliter intelligunt; recuperator enim cum L. Cæsare Caius fuit in causa Rabirii. Neque minus prave huc trahitur Sueton. Jul. 17; neque enim unquam *quæsitor* sic absolute dicitur, semper ad certum quoddam iudicium iudiciorumve genus relatum, neque apud iudicem de coniuratione indicium profiteri quisquam potuit; necessario igitur ibi *quæstorem* legendum [5]) est. Nihil igitur de iudice quæstionis extra Ciceronis scripta traditum reperimus, nisi quod in iuris libris bis eius mentio fit. In Digest. XLVIII. t. 8 l. 1. lege Cornelia de veneficiis et sicariis teneri dicitur, *qui, cum magistratus esset, publicove iudicio præesset, operam dedisset, quo quis falsum indicium profiteretur* &c., et paulo post, *qui magistratus iudexve quæstionis sub capitalem causam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret.* In collat. leg. Mos. et Rom. 1, 3 ex Ulpiani Lib. VII de officio proconsulis refertur: *Capite primo legis Corneliæ de sicariis cavetur, ut is prætor iudexve quæstionis, cui sorte obvenerit quæstio de sicariis, uti quærat cum iudicibus, qui ei ex lege sorte obvenerint* &c. His scriptorum locis accedunt inscriptiones aliquot, de

---

5) Quod Sigon. et post eum Heinecc. Quintil. VIII, 3 laudant, id nescio quo errore factum est.

quibus postea dicam; magna est enim in iis dubitatio. Ex his autem locis adparet, iudicem quæstionis ipsum iudicium plane eodem modo, quo prætorem, exercuisse; (quærit enim, in consilium mittit (pro Cluent. §. 74.), quomodo pronuntiandum sit, constituit (§. 55), ipseque iudicii male administrati invidiam sustinet;) totique quæstioni sorte oblatæ præfuisse; eamque propriam quandam dignitatem fuisse, quam populi suffragiis datam dubium non est [6]). Neque tamen magistratus is erat; itaque C. Junius accusari potuit, quum iudex quæstionis erat, etsi id fieri non debuisse, Cicero disputat; in leges quoque iurabat, etsi id propter similitudinem imperii prætorii interdum negligebatur (pro Cluent. 33, 91.), iudices ipse non sortiebatur; id enim in Oppianici causa Verri prætori urbano aperte tribuitur a Cicerone Act. 1, 13, 39; et tamen subsortiebatur, ut Junius (pro Cluent. 33, 19. 34, 92. 41, 113) et Curtius (Verr. 1, 61), ita tamen ut hanc subsortitionem in suo codice prætor urbanus haberet (pro Cluent. 33, 91 in Verr. 1, 61, 157;) neque id mirum est, hæc ad prætorem urbanum redisse, a cuius iurisdictione totum prætorii magistratus institutum progressum sit, quemque solum iudices legisse sciamus [7]). Et hæc quidem aperta; deinceps autem controversia nascitur.

---

6) Confitetur id, de hoc quidem quæstionis iudice, Ferrat, 1, 4 p. 18.

7) Cic. pro Cluent. 43, 122.

Primum enim (nam ii, qui semper prætorem adfuisse putabant, iam profligati sunt,) Garatonius[8]) in iis iudiciis, quæ iudex quæstionis exercuerit, prætorem tamen adfuisse putat, si ei videretur, altiore loco sedentem et iudices coercentem; deinde omnes in iis quoque iudiciis, quæ prætores exercuerint, iudices quæstionis fuisse putant. Prius illud quam non sit verosimile, ipse Garatonius sensisse videtur; quid enim? nonne satis in iudice quæstionis auctoritatis? aut quale hoc est, prætorem quasi terriculum adponere? cur, si aderat, non ipse præerat; sin abesse poterat, quis, eo absente, iudices coercebat? Alterum non minus ineptum. Unus Sigonius huic homini aliquid muneris dandum esse ratus est, qui ei ea dedit, quæ prætores ipsos fecisse, certissimum est [9]). Ferratius (l. c. p. 18) ab ipso prætore in partem curarum adsumptum putat; quarum, non dicit; praeerat iudicio prætor; indicabant iudices; quid iudici quæstionis relinquitur? Garatonius (l. c. p. 487) putat, si prætor in magistratu mortuus esset, aut morbo impeditus fuisset, iudicium illum exercuisse, quod aperte mori Romanorum repugnat, qui nulli unquam magistratui huiusmodi quasi vicarium dederunt, ne dicam, si prætor abesset, iudicium non exercitum fuisse, apparere vel ex P. Cassii ex-

---

8) exc. ad Cluent. p. 498.

9) Sigon. l. c. *iudex quæstionis actionem datam exercebat, iudices sortiebatur, testes audiebat, quæstiones habebat, tabulas inspiciebat, quæ prætor propter dignitatis fastigium non curabat.* O delicatum prætorem!

emplo apud Ascon. Argum. Cornel. p. 93. Unde igitur hæ opiniones? Ex perversa interpretatione scholiastæ nostri loci in Verr. 1, 61. Dicit, et dicunt post eum cæteri, queri Ciceronem Q. Curtium corruptos iudices in consilium, quod de Verre iudicaturum esset, subsortitum esse. Nam sortitum Glabrionem negare non possunt. Quid igitur? Haccine tam gravi contumelia ut Cicero iudicem quæstionis adfecerit? Immo, inquiunt, postea hunc Curtium reiecit, neque nunc is aderat. Quomodo quæso, reiecit *post* subsortitionem eum, qui ipse subsortitus est? Deinde, si a populo eligebatur iudex quæstionis, quomodo is reiici poterat? Non magis, quam prætor; sin, ut Ferratio placet, a prætore assumebatur, quomodo reiici et verborum contumelia affici, sine gravissima prætoris offensione? Quid Cicero? dicit ex hac decuria sibi (bonorum) iudicum copiam non futuram fuisse, nisi Curtio restitisset. Itaque non malos intrudebat, sed bonos eripiebat; hoc quomodo facere poterat? Declarat Cicero: — *facultas eorum, quos iste* (legendum esse opinor *quos, quum iste;*) *annuerat, in suum consilium sine causa subsortiebatur.* Apparet Q. Curtium in Verris iudicio nihil habuisse, quod ageret, sed iudicem quæstionis in suum consilium eos iudices subsortitum esse, quos Verres effugere vellet. Res tam est aperta, ut tot doctos homines fugisse mirer. Restat causa Cluentiana; (nam in Iuniano iudicio Verrem non adfuisse, intellectum iam est;) in ea Manutius, Ferratius, alii Q. Voconium Nasonem prætorem

faciunt [1]). Sigonius, Heineccius, Garatonius recte animadverterunt, Q. Voconium a Cicerone c. 54, 148 apertissime iudicem quæstionis appellari [2]). Sed iidem pessimo consilio Nasonem, quem prætorem faciunt, a Q. Voconio diversum esse statuunt; quid est enim apertius, quam eundem èsse, quocum §. 147 Cicero de legum vi et auctoritate disputet, et eum, quocum 148, quid lex iubeat, exquirat? Et vidit hoc Garatonius ægreque ab ea sententia divelli se passus est (in exc. p. 493.) sed tamen ut diversos putaret, et quum diversos iudicasset, prætorem in eo iudicio, quod iudex quæstionis exerceret, adfuisse statueret, eo impellebatur, quod ex Cic. pro Flacc. 21, 50. Q. Nasonem in Asia prætorem ante L. Flaccum

---

1) Cum hoc Ferratius statuisset, quinque præterea alios, qui quæstionibus præessent, apud Ciceronem statim enumerari videret (ipsum Ciceronem, Plætorium, Flaminium, Orchinium, Aquillium,) P. denique Cassium apud Ascon. (argum. Corn. p. 92. 93.) hoc anno prætorem de maiestate quærentem invenisset, ne solus octavus C. Antonius (Ascon. ad orat. in T. C. p. 111. 112. Q. Cic. de petit. cons. 2.) utrique iurisdictioni relinqueretur, P. Cassium ex prætore quæsitorem, id est, ut putat, iudicem quæstionis faciebat, ut in eius locum alium prætorem substituere posset. Verum *quæsitoris* adpellatio non est propria iudicis quæstionis.

2) Errat enim non leviter Manutius, ipsum prætorem iudicem quæstionis appellari potuisse putans, quum hac ipsa appellatione duo genera hominum distinguantur.

fuisse cum aliis statuebat; itaque cum Flaccus Asiam rexisset a. 692, is autem Globulo in ea provincia successisset, Globulus Orbio [3]), Nasonem in Asia fuisse putabat 689, prætorem Romæ a. 688, quo acta est causa Cluentii, et quidem urbanum (vid. p. 494-497.); nam ne quis diceret, Nasonem ante prætorem fuisse, tunc quæstionis iudicem, nec diversum a Q. Voconio, obstare, quod ædilitii homines, non prætorii iudices quæstionum esse solerent. Ipse Garatonius invitus his rationibus cedit p. 497. Equidem, si cætera firma essent, necessario duos Q. Nasones fuisse statuendum putarem. Sed, quo tota argumentatio nititur, Nasonem in Asia prætorem fuisse, omnino incertum est. Nam quod Cicero dicit *Q. Naso, qui prætor fuerat*, nihil aliud significat, quam nuper eo magistratu functum, quum res, quæ ibi commemoratur, accideret; si in Asia fuisse significasset, addidisset, ni fallor, in ea provincia, aut simile quid. Ne quis autem credat, ideo iudicem captum Nasonem, quod cum eo C. Plotius in Asia legatus fuerit, verba *quum iudicatum esset* sine dubio referuntur ad iudicium, quod L. Flacco prætore Heraclides passus erat (20, 48) ut Flacco Plotius legatus fuerit. Q. igitur Voconium Nasonem iudicem quæstionis fuisse puto et de veneficiis quæsisse a. 688; prætorem cum Q. Cicerone a. 692; nec in provinciam isse, sed, quum Romæ esset, a. 693 iudicem a Plo-

3) Cic. pro Flacc. 31, 76. 32, 76. 77.

tio et Heraclide sumptum[4]). Remoti igitur sunt a prætorum iudiciis iudices quæstionum, ab horum prætores, idque ita fuisse multo magis perspicietur, si causam huius muneris instituti intellexerimus. Quum enim plures novis legibus iam ante Sullam constitutæ essent quæstiones perpetuæ [5]), neque iis sex prætores sufficerent, quorum duos iurisdictio utraque occupabat, neque facile magistratuum numerus augeretur, creati necessario ad ceteras quæstiones administrandas quæstionum iudices sunt. Auxit Sulla prætorum numerum [6]), ut octo essent; sed quæstiones eo tempore aut, ut vulgo putant, octo, aut, ut Garatonius censet (p. 490 et 495) novem erant, quibus si iurisdictiones addimus, hoc quoque tempore duas aut tres quæstiones prætoribus caruisse patet; raro enim vel nunquam hoc tempore uni aut duas quæstiones aut utramque iurisdictionem demandatam, recte Garatonius docuit (p. 495 sq.). Hæ igitur iudicibus quæstionum obveniebant, quorum creandorum necessitas sublata est, aucto a Cæsare et Augusto prætorum numero, eaque mihi caussa esse videtur, cur omnis eorum commemora-

4) Quod in orat. pro Cluent. primum Naso, deinde Voconius appellatur, cum eo Garaton. recte comparat de prov. consul. 16, 39 et 40. Addo pro Mil. 28, 77. Ubi maiestas orationis quærítur, in decretis similibusque formulis semper gentili nomine appellantur homines.

5) Quot fuerint ante Sullam quæstiones, definiri vix potest; recte tamen Ferratius I ep. 15, p. 65 sq. disputat, plures certe quam quattuor fuisse.

6) Manut. ad Cic. ad Qu. Fr. II, 1. Lips. exc. ad Tac. Ann. 1, 14. Ferrat. Epp. 1, 15. p. 69.

tio intra hoc temporis spatium concludatur. Adparet, cur huiusmodi quæstionum iudices crearentur, causam fuisse, cur in prætorum quæstionibus nullam [7]).

Venio ad inscriptiones, ex quibus vereor ut hic antiquitatis locus lucis quidquam accipere possit; admodum enim suspectæ mihi videntur, quæ proferuntur. Prima est et a Sigonio iam adhibita, quæ exstat apud Gruter. 225, 7. Orell. inscriptt. Lat. I n. 592 (Cardinalii librum non vidi,) quam non possum quin spuriam putem, etsi Morcellium ad eam commentatum video. Elogium est C. Octavii, Augusti patris; in quo primum mirum est, tam nude Augustum dici, neque Cæsarem, neque imperatorem, neque Divi fil. Ædilis plebis cum C. Toranio dicitur; cur in hoc magistratu collega nominatur? qui ne commemorari quidem poterat sine contumelia Augusti, a quo, quum tutor eius fuisset, proscriptus est [8]). Scilicet de hoc uno collega constabat. Postremo *iudex quæstionum* appellatur, non solum contra locos Ciceronis, sed contra evidentissimam rationem, etsi probat Garaton. p. 488; quis enim quemquam aut ad omnes quæstiones delectum, aut, quum unam

7) Quæ Garaton p. 489 de vicariis prætorum in provincias ad bella avocatorum ad iudicia terminanda dicit, falsa esse, apparet ex iis, quæ de alio vicariorum genere iam dixi; tum quibus prætoribus quæstione decretæ erant, ii in provincias non ibant.

8) Sueton. Aug. 27.

sortitus esset, quæstionum, non quæstionis, iudicem appellatum putet? Sequitur alia apud Gruter. p. 360, 3, plenior et diligentius descripta apud Murat. 728, 1., quæ si vera esset, iudicem quæstionis sub imperatoribus haberemus; sed aperte spuria est, referta in nominum enumerandorum ratione, in ipsis nominibus, in muneribus gestis, in modo, quo munera publica homo accepisse dicitur, insolentissimarum et falsissimarum rerum. Tertia est apud Fabrett. cl. X, 553. Orell. n. 569, defensa contra Maffeium (A. C. Lap. 463) a Marinio (Atti I p. 186;[9]) desumpta ex schedis Barberinis (cfr. Orell. p. 32.); si vera est, iudicem quæstionis aliquot annis ante a. 662 habemus. Sed neque *Judex* simpliciter pro *iudice quæstionis* positum probo, neque locutionem *iudex veneficiis* neque *prætor repetundis*, neque omnino hanc quæstionis, quam in prætura exercuerit, notationem. Quartam ex Murator. 675, 6. Aquileiensem Garatonius attulit, in qua C. Appuleius M. F. Tappo *iudex quæsitionis rerum capitalium* appellatur, ita ut hæc dignitas infra ædilitatem, tribunatum plebis, quæsturam ponatur; magna suspicio est, confectam esse inscriptionem ab aliquo, qui ad *iudicem quæstionis* traxerit quæstionem rerum capitalium antiquis temporibus interdum extra ordinem magistratibus de-

---

9) Quæ Borghese scripsit in Ephemeridibus Arcadicis, nancisci non potui.

mandatam [1]), aut de triumviris capitalibus cogitarit (etsi de his Garaton. cogitari non vult.) Certe ad eos iudices quæstionum, de quibus agimus, non pertinet. Restant inscriptiones duæ, altera apud Gud. 120, 9. Murat. 689, 7 (cfr. Marini Atti I p. 63.), cuius lectio et explicatio omnino incerta est; altera apud Marinium (Atti I, 53.), submissa ab amico, in qua literas *Q. Quæsit. Jud.* explicat *Quæstori Quæsitori Judici*, quæ neque legitima appellatio est, neque apta; tribunatui quoque et quæsturæ postponitur hoc munus; (a maioribus ad minora descendit enumeratio;) sunt alia in ea inscriptione, quæ offendunt; sed quoniam nihil ex ea ad huius muneris rationem definiendam elici potest, omitto. Inscriptio apud Grut. 115, 6 ex Zamoscio sumpta, in qua est M. Munatius M. F. cum Balbino *quæstionum causarumque iudex*, si antiqua est, ad magistratum municipalem pertinet.

Sed redimus ad Verrinarum commentarium; in quo iam nihil dicemus de binis illis comitiis, quæ commentus est p. 34 ad Act. 1, 9, nihil de aliis; ipse enim interpres indicat, se multis in rebus neque sane difficilibus tantum coniecturam sequi [2]),

---

1) Liv. 45, 16, 4. Duk. ad Liv. 39, 14, 6. Dirksen Civilistische Abhandl. T. 1, 2 p. 105 sq. (laud. ab Haubold ad Heinecc. Antiqq. p. 956.)

2) vid. p. 42 ad Act. 1, 18 *Apparet ex hoc dicto*; cfr. p. 66 ad Lib. 1, 30.

in aliis nihil omnino scire [3]); satisque intellectum puto, eam esse huius commentarii rationem, ut in historia aliqua quidem bona et ex antiquis fontibus derivata habeat, sed ita pleraque corrupta et perturbata, ut vix agnosci queant, ipsius autem nulla sit auctoritas, præsertim si alii auctores repugnaverint, in antiquitatis institutis, de quibus pauciora et minus bona tradita ab aliis accepisse videtur, admodum pauca utilia præbeat, quibus cautissime utendum sit, ne infimæ ætatis hominis coniecturis decipiamur [4]).

Sed pæne iniuriam fecimus homini, quem, quasi furtim in alieni nominis possessionem irrepserit, sic indiciis illis colligendis de loco deiecimus; ipse enim nunquam, cuius ætatis esset, occultavit neque suspicatus est, sibi hanc antiquitatis laudem adfictum iri. Primum ubique *antiquos* et *veteres* tanquam a sua ætate longe remotos appellavit [5]), et instituta dudum abolita se explicare

3) ut de *divisoribus* p. 31. 32 ad Act. 1, 8, in quibus sane prudenter dubitavit, si cum iis comparatur, qui affirmant quasi in re certissima, divisores fuisse, qui in comitiis tabellas distribuerent; qui ne unum quidem locum, ex quo id efficiant, proferre poterunt, aut quo publici muneris aut ministerii quidquam divisoribus fuisse ostendant. Nam Plauti magistros curiarum Athenienses non sum accepturus.

4) Itaque minime in hos commentarios cadit, quod de Ambrosianis dixit Niebuhr præf. ad Front. p. XXXIV n. 4.

5) p. 16 Div. 14, p. 30 Act. 1, 7, p. 43 Act. 1, 18, p. 52 Lib. 1, 9 &c.

ostendit;[6]) deinde suorum temporum res sæpe significat, ut in iis, quæ de principe, commentariensi, corniculario adnotavit p. 65 ad Lib. 1, 28 [7]) et de redituum generibus p. 84 ad Lib. II, 2. Poterant alia quædam vestigia obscuriora reperiri, quæ omnia ad extrema imperii Romani tempora pertinent, certam temporis, quo commentarius scriptus sit, notam non habent. Atque hæc de iis dicta sunto, quæ in commentariis traduntur, quæ brevius exposuissem, nisi cavendum esse vidissem, ne quis, si non Asconii, satis tamen antiquos putaret et ab inferioris ætatis hominibus nonnullis in locis interpolatos. Restat, ut hominis scribendi genus cæterorum simile esse intelligatur, non tam ex perpetuo quodam tenore orationis (is enim in his brevissimis scholiis non est,) quam ex singulis verbis et locutionibus, in quibus multa ingruentis barbariæ vestigia sunt. Huius interpretis sunt (ut illa omittam, quæ in Asconii ætatem non cadunt, cadunt in Antoninorum [8]), *animositas*, *annonæ* (pluraliter de iis,

---

6) *Moris erat* p. 28 Act. 1, 6. *Moris fuit* p. 59 Lib. 1, 19, p. 62 Lib. 1, 23 &c.

7) vid. Pancirolli Not. dignit. imp. Orient. (Thes. Græv. T. VII) c. 10 p. 1369, c. 11 p. 1370, c. 13 p. 1375. Gothofred. ad cod. Theodos. T. II, p. 184 sq. p. 495, 506, T. III p. 38, p. 43 sq. ed. Ritter. Retentæ sunt hæ adpellationes, certe commentariensis et cornicularii apud Ostrogothos; vid Manso Gesch. d. Ostg. p. 645.

8) Locos in iis, quæ apud Schellerum iam laudata sunt, notandos non putavi.

quæ magistratibus et aliis de publico tribuuntur,) p. 13 ad Div. 10 et alibi, *appellativus* p. 64 ad Lib. 1, 24, *argumentalis*, *auctionari* ut sit *emere*; *celebrare*, ut sit *habere*, *exercere*, *facere*, ut *reiectionem iudicum* p. 28 ad Act. 1, 6, *comitia* p. 31 ad Act. 1, 8., [9]) *conniventia*, *criminalis* p. 35 ad Act. 1, 10, *detegere*, ut sit *deprehendere*, (p. 25 ad Act. 1, 2 *detectis in corruptione iudicantibus*, [1]) *fideiussor* p. 78 ad Lib. 1, 54, *incubare* ut sit *iniuste possidere* [2]), *insinuare* id est, *exponere* p. 43 ad Act. 1, 18 [3]), *interogative*, *intramuranus* (*extramuranus*, quod in lexicis hinc laudatur, non legitur,) *iurgium* pro lite p. 74 ad Lib. 1, 45, *modo* pro *nunc* p. 7 ad Div. 3, p. 14 ad Div. 10, p. 21 ad Div. 19 &c. [4]), *neoterice*, *officium* prætoris de publicis eius ædibus p. 28 ad Act. 1, 6 et de hominibus, qui (ut ipse utar inferioris ætatis dicendi ratione) sub eo militant, p. 56 ad Lib. 1, 14 [5]), *oxymoron*, *participatio*, p. 41. ad Act. 1, 16,

---

9) Cod. Iust. L. 10, 23, 1 *exactio fuerit celebrata*; Lib. 3, 9, 1 *si tantum postulatio simplex celebrata sit.*

1) Cod. Iust. Lib. 1, 24, 1 *si quis accepisse detegetur*; II, 6, 7 &c.

2) vid. Serv. ad Æneid. 1, 89. Ducange v. *incubator*.

3) Duk. ad opusc. de Lat. Iuriscons. p. 439. ed. Bat.

4) Sic Donatus, Servius, Cassiodorus, cæteri sæpissime, factumque hinc *modernus*. Donatus studebat exemplis Terentianis defendere, ad Adelph. III, 1, 2. Hecyr. III, 5, 8, ubi potius notandus erat præsentis temporis usus de re ita nuper facta, ut adhuc fieri

parvissimus p. 21 ad Div. 17 (repetita ex antiquitate obsoleta forma,) *pensitatio, promotio, provolans* tabulatum pro *prominenti* p. 19 ad Div. 16, *responsive, solidare* et *solidum fieri* de rationibus, unde Itali *soldo* et *saldo, subaudire* sæpe [6]), *subiugare, subdistinguere, susceptor, vellereus.* His addendum esset *vicequæstura* ex Arg. Lib. 1. p. 46, nisi in edit. I esset *in legationem. vicem quæsturæ, tertio* &c.; omninoque hoc compositorum genus ne ad hanc quidem ætatem pertinet. *Recitationis* autem vox sane ab hoc scriptore de iis, qui iterum adesse et causam agere iubentur, posita videtur p. 53 ad Lib. 1, 9 [7]). Alia sunt in his commentariis permulta non tam in singulis vocabulis, quam in eo-

(ἐν τῷ γίγνεσθαι esse) videatur; eadem est ratio loci Plautini Stich. IV, 1, 23. Post Donatum defendere voluit Priscian. 1168, 47 Putsch. et, quod mirere, Voss. de vit. serm. Lib. VII. (p. 380. Opp. T. II. ed. 1695.) Quintiliani auctoritate nunc nemo abutitur.

5) Plinii locum Ep. 1, 5, 15 recte aliter interpretantur; cfr. Suet. Iul. 15.

6) Veteres *audire* dicebant. Ruhnk. ad Iul. Ruf. p. 272.

7) Addi his huiusmodi locutiones possunt: *negotium tangit, vicissitudo tangit* p. 30 ad Act. 1, 7. p. 64 ad Lib. 1, 25, *satis fluxisse verborum* p. 43 ad Act. 1, 18, *circa subsellia coronam facere* p. 54 ad Lib. 1, 11, *deponere querelas apud aliquem* p. 59 Lib. 1, 19. *In Italia positus* p. 68 ad Lib. 1, 34 de homine, qui in Italia versatur. (*Ruri positi* Cod. Lib. 3, 12, 3; *Gothi in civitate positi* Cassiod. Varr. V, 39 extr.) &c.

rum coniunctione vitiosa, quæ omnia enumerare longum est. Huius generis hæc sunt: *annonae* IN *frumenti certo numero præbebantur* p. 21 ad Div. 10 [8]); *qui non permissi sunt accusare* p. 13 ad Div. 19 [9]); *vicinum est ad pæne nunquam* p. 25 ad Act. 1, 2. Notandus quoque usus pronominis *iste* pro *hic*, de re, quæ adest aut nunc ipsum commemoratur, qui plane extremæ ætatis est, p. 73 ad Lib. 1, 42 *cedo mihi Atinias, Furias* (sic ed I.)] *istæ omnes* &c. [1]). Particula *quod* pro infinita sententia posita communis est omnium infimæ ætatis scriptorum. Sed singularis mihi visus est (quamquam nec plurima ex hoc genere legi, nec sane semper ad hæc adtendi,) usus plusquamperfecti *fuerat* pro perfecto vel imperfecto in narrando et discribendo, ut p. 26 ad Act. 1, 2 *moris autem fuerat*, cfr.

---

8) Cod. Iust. Lib. XI, 23, 1 *in pane-exhibenda annona*; eodem modo *in auro* Cassiod. V, 11.

9) Mirum, fuisse, qui hoc loquendi genus defenderent locis Senecæ de ira 1, 7, 5 et IV, 12, ubi apertum est, impersonaliter dici, et in his fuisse Dukerum (ad opusc. de lat. iuriscons. p. 324), qui etiam in verbo *sino* comparando lapsus est; veriora aliquot exempla huius vitii (nam vitium est) apud Ruddim. II, p. 219. Extrema ætate ita sæpe dicebant. Cod. Lib. 1, 51, 5 *Nemo concedatur*; Lib. XII, 54, 1 *qui præcepti sunt* &c.

1) Non memini hoc observatum legere; sic in omnibus capitum inscriptionibus ponitur in orthographia Cassiodori; cfr., ut exempla, quæ ad manum sunt, ponam, Anian. in Schulting. Iurispr. Anteiust. p. 227 et 235. Anonymi argum. orat. pro Ligar. extrem.

p. 34 ad Act. 1, 9 et p. 66 ad Lib. 1, 29, *necesse fuerat* p. 28. ad Act. 1, 6, *quia adhuc theatra non fuerant* p. 61 Lib. 1, 22. Hoc quoque mihi plane non cadentis, sed intereuntis linguæ Latinæ esse videtur. Eodem modo schol. Ambros. ad Cic. pro Scauro p. 10 M. p. 192 B. *ergo necesse fuerat* [2]).

---

[2]) Nemo huc trahet, quod de singulari quodam plusquamperfecti usu pro imperfecto apud Ciceronem et alios observatum est ab Heusingeris et postea ab aliis; etsi totum hoc mihi quidem commentitium videtur, neque ullo loco re vera ea temporum permutatio facta. Persequar exempla, quæ Ramshorn posuit §. 164. not. 7. p. 402. In locis pro Mur. 25, 51 et Acad. II, 1, 3 legitime plusquamperfectum poni, nemo non videt, qui paulo diligentius de temporum usu cogitavit; debuerat Lucullus antea triumphare (recentiores dicerent *debuisset*), sed tum demum triumphavit; sic *æquius fuerat, melius fuerat*, de quibus Gernhard in excursu ad Cic. Læl. egit; eodem pertinet Lucani locus. De Ciceronis loco de orat, 1, 7, 24 satis dictum est ab Orellio in Iahnii Annal. 1827. 1, 4, p. 89 not. cfr. pro Cluent. 14, 41 (*qui gener eius fuisset;* mortua enim erat Dineæ filia Magia; ibd. 7, 21.) Apud Cic. de Offic. III, 21, 82 cum Ernestio ex quinque codd. (et de pluribus sine dubio tacetur,) legendum est *fuerit;* modo indicativo dixisset: *id, quod sceleratissimum fuit, excepit*, relata ad Eteoclis tempus cogitatione. Sallustii locus bell. Iug. 39 sane discedit a consueta norma; sed tamen scriptor cogitavit de foedere male facto, quod non fieri par *fuerat;* poetarum loci suam habent libertatem; Ovidius quum dicit: *nec fuerant*, significat simul ne tum quidem fuisse, nec tamen id dicit;

Exposita sunt, quæ maxime ad huius commentarii rationem cognoscendam pertinere videbantur; qui quin literis Latinis languescentibus scriptus sit, dubitatio nulla relinquitur; illud difficilius, qua potissimum huius ætatis parte compositus sit, constituere; neque enim in horum extremorum temporum literis, in quibus nulla certa et propria forma eminet, tam apertæ sunt ætatis notæ, quam in superiorum. Quid tamen ut probabile sequar, dicam. Neque enim parvo intervallo scriptorem post Servium ac Donatum vixisse, mihi plane certum est, tum propter ea, quæ dixi de nota eius ad Divinat. 13 [3]), tum ea de causa, quod, quum in illis non exigua sit veteris reip. cognitio, in hoc pertenuem esse mihi ostendisse videor, idque discrimen eiusmodi mihi videtur, ut illi non literis instructiores, sed ipsi temporibus illis pro-

---

ut quum nos dicimus: *nemo tum viderat.* De Propertii loco II, 31 (23) 7, (III, 30 Lachm.) tenendum est perfectum *stetit* dici maximé apud poetas sensu, ut ita dicam, inchoativo, ut sit *constitit* (vid. Ovid. Metam. V, 132 et VIII, 415, quos locos a Schellero sumo;) itaque *steterant* est *constiterant* (*se constituerant.*) Miror a Beiero ad Cic. l. l. p. 340 huc referri Cic. locum de Off. II, 1. 4; ibi enim *superfuerat* positum est ex perpetuo Latinorum usu; tum enim demum philosophiæ locus erat, quum aliquid superfuerat, id est, reliqui *factum erat*, a negotiis amicorum, quemadmodum Latine dicitur: præmium promisit, si quis *invenisset*, non, *inveniret*.

3) supra p. 93 not.

piores fuisse videantur; maxime autem me in hac sententia confirmant, quæ de literarum veterum cognitione exposui p. 103 sq., ex quibus adparet permagnam studiorum doctrinæ conversionem, literarumque iacturam factam esse eo tempore, quod inter illos grammaticos et hunc interiectum fuerit. Accedunt his minora quædam, ut stultissima illa interpretatio versus Virgiliani, Servio sane recentior, nugæ de vocabulo *alacer*, quod Donatus et Servius sæpius attingunt, ita tamen ut illorum ætate nondum ex usu sublatum nec obscurum fuisse appareat. Sed ne Diomedis quidem aut Charisii doctrinam ullo modo æquat. Itaque non multum a veritate aberraturam coniecturam meam puto, si hunc commentarium non multo ante interitum imperii Romani occidentalis scriptum dixero, quum incursionibus barbarorum omnis veteris imperii imago deleta esset, lingua corrupta, veterum scriptorum libri fere ex manibus hominum sublati. Imperio deleto ne ea quidem, quæ in hoc homine est, literarum et antiquitatis cognitio, nisi in perpaucis fuit; (de iis non loquor, qui, ut Priscianus, in Græcia vixerunt). Nec sane ullum peregrini moris vestigium est; seque, quum *veteres, antiquos* appellat, solo temporis intervallo ab iis discretum fuisse significat; moris quoque Romani vestigia, ut de præfecto prætorii p. 57 ad Lib. 1, 14, de circensibus (*est idem, in quo nunc circenses spectantur*) p. 80 ad Lib. 1, 59; alia supra attuli; quamquam quædam ex his Gothis Italiam tenentibus sublata non sunt. Hæc ideo notavi, ne, quum mota su-

spicio sit, imperio demum everso vixisse putetur propter notam p. 17 (ad Div. 14) *omnem enim scholam ludum dixere Romani;* significat, quo nomine Romani Græcum nomen transtulerint, non se Romanum negat. Romæ vixisse, certe in Italia, apparet ex nota de circo et signo Vertumni p. 80 ad Lib. 1, 59 (nam de Fornice Fabiano integra descripta est ex veterum commentariis); quamquam verba corrupta sunt. In ed. I. est *ad postramus dextram partem* 4). Nec plura de his scholiis dicenda videntur. Superest disputatio quædam, quæ brevius absolvi potest, de commentario et scholiis ad aliquot Ciceronis orationes ab A. Maio e bibliotheca Ambrosiana editis.

V.

Ang. enim Maius, quum a. 1814. fragmenta Ciceronis orationum pro Scauro, pro Tullio, pro Flacco e codice palimpsesto Ambrosiano ederet, adiunxit ex margine eiusdem codicis scholia quædam in orationem pro Scauro; tum eodem anno ex alio codice palimpsesto eiusdem bibliothecæ com-

---

4) Huic quoque commentario unum et alterum additamentum accedere postea potuisse, non nego et sunt, quæ hanc suspicionem confirment, ut quæ tam parvo spatio disiuncta dicuntur de sectore p. 59 et 63 ad Lib. 1, 20 et 23, de manubiis p. 80 et 81 ad Lib. 1, 59 et 60, inter se repugnantia, de prædibus et prædiis p. 77 et 78 ad 1, 54.

mentarium antiquum in Ciceronis orationes deperditas in Clodium et Curionem, de ære alieno Milonis, de rege Alexandrino, tum in orationes pro Archia, pro Sulla, pro Plancio, in Vatinium edidit, cui ex alio quodam codice scholia aliqua in orationem quartam in Catilinam, oratt. pro Marcello, Ligario, Deiotaro, adiecit. Hæc ille omnia, inter se diversissima, Asconii Pediani esse adfirmabat, ita ut minora illa scholia ex Asconiano commentario excerpta diceret, et in eo gaudio exsultabat, quod facile in inventore et viro non ad criticam facto ferrem, nisi et a Niebuhrio admonitus in eadem sententia permansisset, et eam perverse et acriter tueri studuisset in editione ea, quam hæc omnia continentem emisit Mediol. a 1817 [5]). Ac de scholiis illis in Scaurianam levissima res est; sex septemve sunt scholia minutis rudioribus literis scripta, duo maioribus quadratis, ut ipsa Ciceronis verba, (ex his alterum constat vocabulo: *propositio*,) unum minutis sed quadratis, partim in sensu et artificio orationis explicando posita, partim in historia et institutis, erroribus referta, (ut patricios solos pontifices fieri, sacerdotiis admi-

---

[5]) vid. princip. edition. præf. prim. p. 9 (ed. 1817, apud Beier Fragm. Cic. oratt. p. XXII) præf. alt. p. 21 (XXX B.), p. 26 sq. (XXXIII sq. B.), p. 30 (omiss. apud Beier.), tum præf. ed. nov. p. XI (LIII Beier) et comment. de ed. princ. Mediol. Fragm. Cic. p. 1 sq. (p. LVII sq. B.) et de ed. princ. opp. Front. Med. p. 35 sq.

nistrandis eos ad consulatum pervenire, patricium serius quam plebeium consulatum adipisci, traditur[6]), oratione non optima[7]); quæ cuius ætatis sint, quærere operæ pretium vix est; circa idem tempus, quo in Verrinas commentarius compositus est, scripta videntur. Multo est præstantior et melior commentarius in septem oratt. ex altero cod. palimpsesto protractus, quem tamen Asconii esse Maius sane non evicit, argumentis ad eam rem partim plane ridiculis usus[8]). Niebuhr quarti seculi putat, Orellius quinti vel sexti[9]). Res hæc est. Commentarius hic rhetoricus est et historicus, grammaticam verborum et sententiarum explicationem plane excludens (in quo a Verrinarum commentario toto genere diversus est; quem eiusdem scriptoris esse,

---

6) p. 11. (p. 189 sq. Beier).

7) pro specimine hæc sunto: *forte* pro *fortasse*; *tria sunt genera, quæ venerunt ad senatum; patriciorum et plebeiorum unum est meritum; isti Claudii* pro *hi Caudii*; *modo* pro *nunc*, *fuerat* pro *erat*; *competere alicui*, id est, *competitorem esse*. Lepido argumento Maius præf. pr. p. 10 (XXII B.) Asconii commentario in Scaurianam edito aliquid deesse (has scilicet notulas) concludit.

8) ex his unum est, quod et apud Asconium et apud hunc interpretem *significat* legitur, apud alterum *notum est*, apud alterum *notissimum est*; vid. comm. de edit. princ. opp. Front. p. 3.

9) Nieb. ad Front. Berol. loco supra laudato p. XXXIV, Orell. excurs. XI. ad Cic. pro Planc. p. 272.

Niebuhr iudicavit,) scriptus perpetua serie; ita ut interdum notæ plures, interpositis Ciceronis verbis, cohæreant [1]); Ciceronis non, ut fere apud Asconium, integræ sententiæ proferuntur, nec tamen voces ita, ut in scholiis ad Verrinas, divulsæ, ut satis adpareat, quod alioquin per se intelligi facile poterat in commentario non grammatico, non ad marginem libri Ciceroniani adscriptum sed per se editum esse [2]). Scriptor satis aperte, se longissime ab antiquis illis temporibus abesse significat; itaque semper de more antiquo ita loquitur, ut dudum abolita eum explicare pateat [3]). Notas

---

[1]) ut p. 91.

[2]) Illa Peyronii sententia fuit (Fragm. Cic. Oratt. p. 231) probata Beiero (Fragm. Cic. p. LXI not.) Spatia vacua, quorum indicio is usus est, non eiusmodi sunt, qualia ex eo oriuntur, quod aliquid confusum legi et digeri non potest. Adnotationes ipsæ inter se aptæ sunt et cohærent, spatia vacua longe plurima ex uno genere sunt (non loquor de iis locis, ubi aut partes foliorum resectæ sunt aut nova scriptura inducta vetus plane deleta,) in artificiorum rhetoricorum figurarumque nominibus. Hæc enim ab interprete Græca posita erant; librarius, qui Græce nesciebat, omisit; nec idem Xenophontis verba p. 168 perscripsit. Recte igitur Maius aliquoties Græca supplevit, non recte subinde Latina; vid. p. 63, 76 (ubi recte ipse Beier p. 104;) 90, 91, 95, 98, 114, 124, 132, 138 bis, 142 &c.

[3]) vid. pag. 71 (*solebant*), p. 73, 74, 88. Ferias Latinas multo ante suam ætatem agi desitas significat p. 189.

quoque res et sub imperatoribus diu retentas exponit, ut, quid sit litis æstimatio, quid iustitium, alibi etiam quid legibus interrogari [4]). In hoc genere mirus est error in toga candida [5]), quam non creta expolitam, sed in cervice notatam putat. Verborum interpretationem ter attigit [6]). Oratio denique toto genere paulo est adfectatior, maxime in exquirendis laudandi formulis, cohærens tamen et nexa et unum quendam tenorem habens, verbis et juncturis iis, quæ extremam linguæ Latinæ ætatem prodant. Ex hoc genere sunt *adlegatio* de re aliqua defendendi aut excusandi causa afferenda p. 150 [7]), *adprime dicacissimus* p. 157 [8]), cuius simile est *valde insolentissimus* p. 132 [9]),

---

[4]) p. 80. et 157, p. 79.

[5]) p. 177. nam de hominis cervicibus eum cogitasse, credere non possum.

[6]) p. 77. p. 124. p. 152.

[7]) eodem modo legendum p. 119 *et hoc coloratur absentiæ adlegatione* (cod. *adlectione*;) contrarium vitium est Cod. Theod. XII, 6, 11.

[8]) Est hoc ex iis, quæ, quum obsoleta et antiquata per multa secula fuissent, extrema ætate in usum redierunt; ita Quadrigarius scripserat.

[9]) Cassiod. de inst. script. div. 15 p. 460 *valde pulcherrimum*; ibd. c. 23. p. 470. *ex operibus sancti Augustini valde beatissimi*, &c. Similia ex aliis habet Ruddim. II p. 306; ex quibus sola *maxime* et *eximie* paulo antiquiorem habent auctoritatem (non tamen Curtii); cætera ex infima ætate sunt; (nam *sane difficillimum* apud Sueton. non est simpliciter augentis.) Drakenb. ad Liv.

adsistere alicui, id est, eum adiuvare p. 161 [1]), *calumniosus* p. 90, *in candidam venire*, id ist, candidatum esse, p. 87 et 166, *compensativus* p. 167 et 171, *concessivus* p. 132 et 142, *defloratus* p. 129, *defoeneratus* p. 70, *desideratum est*, id est, postulatum (verbis) p. 155, *discretio* p. 126, *evenire divitem*, id est, fieri, p. 166, *exserte*, id est, libere et audacter p. 156. Sed non necesse est cætera omnia per literarum ordinem persequi; paulo notabiliora sunt *iste* pro *hic* p. 89, 115, 140 [2]), *medie* p. 71 (in codice est *medies suspendit elocutionem*; scripserat *medie suspendit* [3]), *Plancius*

XLI, 23, 6 duobus corruptis exemplis Livii utitur, uno non apto Velleii, quarto perversissimo particulæ *longe*.

1) Hoc apud Plinium minorem similiter dicitur, sed tantum de oratore, qui *adest* reo. Eodem sensu Tac. Hist. III, 31 *orantque, ut causæ suæ deprecator adsistat*. Est hoc ex iis, quæ inde ab argentea ætate paulatim deflexa sunt in eam significationem, quam nunc apud Gallos habent; vid. Spald. ad Quintil. I, 2, 20. X, 7, 1; ex eodem genere est, quod sequitur, *desidero*.

2) vid. supra p. 139.

3) Tuentur hoc vocabulum Taciti auctoritate Hist. 1, 19. ubi lectio et sententia corrupta est; quid est enim acuminis, medie favisse, qui noluissent; tum in partibus sententiæ contrariis iungendis iners et plane Taciti mori repugnans *ac*, comparativus in primo membro ineptus; sententia fuit, qualis est Ann. XV, 73 et Hist. 1, 45; sed ne *medii ac plurimi* quidem dici potest; recte emendavit Freinshemius: *multi voluntate;*

senior, id est, pater p. 157 et 160. Addendum puto *affligere alicui pecuniam*; nam p. 80 legendum videtur *quae illis adfligeretur*, coll. Julian. in Pandect. III, 5, 30. Excludo vocabulum *sensio* et locutionem *testimonium perfidere*; nam p. 141 legendum est *ne sensim in contrarium vergeret*, p. autem 150 *testimonium perhibens* [4]). Satis igitur certum est, infimae aetatis haec esse, caeterum neque peregrini moris vestigia deprehendo, neque eius barbariae, quae consecuta est imperii eversionem; eruditionis quoque non magnae, sed tamen alicuius nonnulla documenta, ut in iis, quae dixit de poetis elegiacis p. 122, in C. Gracchi verbis laudatis p. 136, in Afranii p. 77, Xenophontis p. 168, in commemoratione Sinnii Capitonis p. 89. (de L. Racilii edicto statim dicam [5]). Itaque hic commentarius mihi ad sextum seculum detrudi nullo modo posse videtur; sed aut quinto aut, quod fortasse verius est, quarto exeunte scriptus esse. Sed in hoc commentario tam recentis aetatis rerum ad historiam pertinentium non solum ma-

---

effusius, qui noluerant; medii ac plurimi obvio obsequio.

4) *Superiectum est* p. 91. significat additum et superioribus adiectum, quo sensu apud Quintilianum dicitur *superponere*; vid. Spald. ad IX, 4, 25; in his *super* vim Graeci ἐπί habet; *superpono* eodem modo dixit Anonym. ad Cic. Verr. 1, 16.

5) Et in Graccho orationis titulum posuit, et in Afranio fabulae, ut ipsum habuisse vix dubitem. Neque in Sallustio neque in Lucilio libri numerum, nec in Sallustio operis titulum interpres Verrinarum notavit.

gnum numerum deprehendimus, sed ea, quæ exposuit, tam non vulgaria, tam copiose, tam diligenter et accurate enarrata sunt, ne minimarum quidem rerum mentione omissa, ut plane hoc admirabile esse videatur; nam Verrinarum commentarius ne comparari quidem cum hoc potest. Exemplo esse possunt argumenta optimarum rerum plena orat. in Clod. et Cur. p. 64 sq. et de ære alieno Milonis p. 87 [6]). In his autem auctorem nullum usquam testemve laudavit, neque sane poterant hæc quarto seculo colligi; multa enim sunt, quæ nisi ex actis tradi non poterant et æqualium monumentis, seculo quarto extremo iam deletis. Neque de ulla re aut se quæsisse significat, aut varie traditum aut dubitatum esse; quæ omnia in eum cadunt, qui sua simpliciter ex unius antiqui scriptoris opere transtulerit, in quo iam omnia ad Ciceronis orationes accommodata repererit. Et hoc se fecisse pæne verbis dicit, (et dixerat fortasse aperte in iis, quæ perierunt); *historiam* enim ita aliquoties appellat, ut eo vocabulo non universam rerum narrationem intelligat, sed certum quendam librum. De Clodio in operto

6) Add. p. 72 de C. Virgilio, p. 75 de Ciceronis fundo in Campania, p. 78 de causa Clodii, p. 80 de primo Claudio Pulchro, p. 92 de comitiis turbatis, p. 94 de titulis in Clodii vestibulo fixis, p. 97 de lege de libertinorum suffragiis, p. 100 de exsulibus post C. Gracchi mortem restitutis. Hæc in duarum orationum commentariis sunt, similia in reliquis.

Bonæ Deæ deprehenso narraturus p. 78, *Atque ita se*, inquit, IN *historia huius temporis* COMMEMORATIO *habet;* aperte locum scriptoris alicuius significat. P. 103 de Crasso exponens ita loquitur: *de quo præter historiam præterque exitum mortis eius etiam ipse Tullius auctor est* &c. Sed certissimus tertius locus est p. 116. *M. Æmilium Scaurum hac in parte significat, et ipsum multæ eruditionis,* UT HISTORIA DE ILLO HABET. Atque sane in multis ex iis, quæ ex historia exponit, (nam in aliis suis verbis utitur,) antiquum et incorruptum loquendi genus agnoscimus [7]). Ipsius mihi Asconii verba subinde audire videor; nec sane sunt

7) Exempli causa et, si qui Maii librum non habent, ut quales sint hæ adnotationes, suspicari certe possint, describam quæ de flagitio illo Clodiano posita sunt p. 78. "C. Cæsaris pontificis maximi prætoris domi sacrificium sollemne pro populo fiebat. Huc vir ornatu muliebri quod introierat, sacrificium instauratum est. Res ad senatum delata est. Patres conscribti (sic ap. Maium) decreverunt, de ea re non aliter quam de incestu quæreretur. Eo crimine reus factus est P. Cl. Pulcher, delatore L. Lentulo, qui consul fuit post cum C. Marcello: subscribentibus Cn. et L. Lentulis. Aurelia Cæsaris mater testis in iudicium accita est. (Hoc non bonum; sed cod. *in iudicio ita est;* leg. *in iudicio citata est.*) Ea pro testimonio dixit, suo iussu eum esse dimissum. Idem dixit Julia soror Cæsaris Et tamen post hæc absolutus est." Cfr. notam de P. Claudio Appi Cæci f. Pulchro p. 79 inde a verbis *Hic consul* usque ad finem; (ubi librarii errore est *Poenis conflixit* pro *cum Poenis.*)

IO. NIC. MADVIGII, Phil. D.,

DISPUTATIONIS

DE

Q. ASCONII PEDIANI

ET ALIORUM

IN CICERONIS ORATIONES

COMMENTARIIS

APPENDIX CRITICA,

LOCORUM CICERONIANORUM ET ASCONIANORUM

EMENDATIONES ET INDICES CONTINENS.

Hauniæ MDCCCXXVIII.

TYPIS HARTV. FRED. POPPII.

Quod nuper, quum disputationem de Asconii aliorumque in Ciceronis orationes commentariis edebam, promisi, me critica quædam, quæ tum adiungere non poteram, (nam intra certum tempus conclusus eram), postea additurum, id iam bona fide exsolvam.

Veros Asconii commentarios et corruptissimos esse, et emendandi cura dignissimos videor mihi nuper satis ostendisse; subsidia emendandi quam exigua essent, declaravi; itaque in multis locis nihil aliud facere possumus, quam ut lacunas (hoc enim corruptionis genere maxime hæc Asconiana affecta sunt) indicemus neque, ubi nihil certi sit, lectores specie quadam sanitatis decipiamus; sed hæc editoris cura erit; alios autem reperiebam locos, in quibus ex veteris lectionis vestigiis aut certa emendatione aut probabili coniectura ad veritatem accedere possem, sæpius in ipsis Ciceronis verbis ab Asconio excerptis; de his solis locis hic exponam; aliquid etiam ad commentarium Ambrosianum, maxime autem ad fragmenta Ciceronis in eo servata conferam; tum, quoniam a Ciceronis orationibus profecta hæc

disputatio est, nonnulla ad eas spectantia, ab iis, quæ in commentatione mea aliquot locis dixi, non aliena, addam, non ingrata, ut spero, futura harum rerum studiosis. De Asconio autem, antequam ad graviora veniam, monendum videtur, in commentariorum horum codice persæpe accidisse, quod alibi quoque accidisse adnotatum est, ut verbum *est* post syllabam *us* propter scribendi rationem veterem excideret. Itaque statim ad Corn. pag. ed. Hotom. 91 (p. 947 Gr. p. 16 Sch.) scribendum est: *Alienatus est autem a senatu ex hac causa,* et p. 96 (p. 957 Gr. p. 189 Sch.) *qui postea Felix appellatus est,* et ad Milon. p. 147 (p. 780 Gr. p. 533 Sch.) *Milo postulatus est;* nam p. 149 (782 Gr. 535 Sch.) iam editur *exceptus est,* quum in edit. I esset *exceptus.* Cætera ordine persequar.

In argum. Cornel. p. 92. (948 Gr. 17 Sch.) nunc editur: *qui vel pauci senatusconsultum facere solebant,* quod Manutius in scholio proposuit, quum in editione prima esset *qui vel paucos * gratificari solebant* [1]). Adparet exquisitiore dicendi genere Asconium usum esse; scripsit enim: *qui vel pauci S. C. gratificari solebant,* id est, per gratiam largiri, quemadmodum Sisennam *nimis in gratificando iure liberum* Cicero appellat in fragmento huius ipsius orat. apud Asconium p. 103. (966 Gr. 24 Sch.) In extremo argumento huius orationis p. 94 (950 Gr. 19 Sch.), qui locus quo

---

[1]) Asteriscis utor, ubi in ed. 1 lacunæ sunt; has non semper rectè indicatas esse, dixi in comment. p. 31.

modo in edit. I scriptus sit, dixi in disput. p. 28 not., inutilem corrigendi operam non sum tam ineptus, ut suscipiam, etsi locus apud Manutium et Hotomanum asteriscis notatus nunc tanquam integer editur. Tantum dico, Asconium non de præfecturis nescio quibus scripsisse, sed, quum iudices ex tribus decuriis essent, adnotasse, duas *decurias*, equitum et tribunorum, Cornelio, populari homini, non infestas fuisse. De alia parte huius lacunæ paulo post dicam.

Initio ipsius expositionis Ciceronis verba aliquot afferuntur p. 95 (952 sq. Gr. 20 Sch.): *Postulatur apud me prætorem* (ed. I *a me prætore*) *primum de pecuniis repetundis. Prospectat videlicet Cominius, quid agatur. Videlicet homines foeneos in medium ad tentandum proiectos;* in quibus fragmentorum editores non offendisse miror; nam neque obsoleta illa constructio Ciceroniana est neque in *videlicet,* neque in *scilicet,* neque hoc loco apta est sententia ita expressa, quum ad Cominium necessario oratio referri debeat, neque in his sententiis, quibus eadem res significatur, ita inter se coniungendis, orationis structura mutari potuit; in edit. I est *proiectus;* Cicero, ut opinor, scripsit *proiicit.* Discedit hoc aliquantum a vetere scriptura. Sed omnino tenendum est, in prima editione, cuius solius testimonio uti possumus, vitiosissime descripta esse verba et in forma terminationeque sæpe corruptissima, quod ex illis satis intelligi potest, quæ ex ea subinde in ipsa disputatione adtulimus, quorum errorum magna pars sine

dubio non in ipso codice Sangallensi fuit. Aliud est in Ciceronis verbis ab Asconio allatis mendum paulo post p. 96 (p. 957 Gr. p. 20 Sch., *Legem, inquit, de libertinorum suffragiis Cornelius C. Manilio dedit. Quid est hoc* DEDIT? *An tulit, an rogavit, an hortatus est? nam tulisse ridiculum est,* &c.' Crimini Cornelio dabatur, quod Manilio legem illam dedisset; quærit Cicero, quid hæc vox sibi velit; iam *tulit* ineptum esse, apparet; nam tulisse conveniebat Manilium; utrum sua sponte, an a Cornelio impulsus esset, quærebatur; deinde *nam* alienum est in primo membro refutationis; incipit enim Cicero singulatim ostendere, nihil eorum, quæ illo verbo significarentur, in Cornelium cadere; et in ed. I est *an tulisse;* apparet utroque loco idem esse mendum, legendumque esse: *Quid est hoc,* DEDIT? *Attulit? an rogavit? an hortatus est? Attulisse ridiculum est* &c. Paulo post eadem pagina (958 Gr. 21 Sch.) hæc Ciceronis verba leguntur: *Petivit tamen a me prætore maxima contestatione* (ed. I *constitutione*), *ut causam Manilii defenderem;* his autem Asconius subiicit, si editionibus credimus: *C. Cornelium significat, sicut iam ante dictum est;* sed falsa hæc esse apparet; Cornelium enim significari, de quo ipse Cicero narrabat, Asconius sane non notasset; et quo spectant illa *sicut* &c.? Nam hoc loco Cornelium significari, neque ante dixerat, neque dicere potuerat. Scilicet Cicero hoc loco alium aliquem hominem nomine non posito significavit, qui quis esset, Asconius antea dixit. Optime igitur editio

I: *Petivit tamen a me* PATER; deinde *cattium celsum significat;* scribendum videtur *C. Attium Celsum*, ut hoc fuerit Cornelii patris nomen, qui quum a Cicerone vehementer petisset, ut Manilium defenderet, accusatores ex eo apparere criminabantur, Cornelium Manilii actionum participem fuisse. At ubi de hoc Asconius antea dixit? Nisi admodum fallor, in lacuna illa p. 94, de qua nuper dicebam, hunc, non Cornelium, significavit fuisse *familiarem principum civitatis*, ut nomen et commemoratio pluribus verbis comprehensa præter alia interciderit inter *exceptis iis* et *familiaris.* Non paucorum verborum esse lacunas extremas eius loci, patet ex iis, quæ his respondent p. 93. (vid. disputat. nostr. p. 27 not. coll. p. 30 not.) ubi pæne tota narratio de iudicio Maniliano et reditus ad narrationem de Corneliano interiit.

P. 101 (964 Gr. 23 Sch.) verbis Ciceronis ab Asconio excerptis additamentum minime bonum insertum est; editur enim inde a Manutio: *neque, quum salutem pop. Romano atque omnibus gentibus finem diuturnæ captivitatis, turpitudinis et servitutis afferret, passus est* &c. Vocabulum *captivitatis* apud Senecam demum et Tacitum reperitur, coniungendumque fuit cum *servitutis* nomine, non cum *turpitudinis*; in edit. I est *cupiditatis;* verum nullam similem vocem puto reperiri posse, quæ hoc loco apte addatur; satis est, turpitudinem et servitutem memorari; sed omnino eiiciendum illud vocabulum esse, patet ex eo, quod Ciceronis dicendi morem corrumpit, tribus vocabulis ita

coniunctis, ut extremum particula *et* adnectatur; vid. epist. nostr. ad Orell. p. 39 sq. Animadvertendum est autem hoc tum non fieri, quum res eodem, ut ita dicam, ordine, simpliciter et *ἐκ παραλλήλου* coniungantur; itaque minime repugnat huic observationi locus orat. pro Cluent. 37, 103. *concionibus quotidianis, seditiosis et turbulentis:* neque enim hæc ex eodem genere sunt, nec simpliciter coniuncta; conciones quotidianas habebat; eæ seditiosæ et turbulentæ erant; ne illi quidem loci repugnant, in quibus plura vocabula ita coniunguntur, ut priora omnia unam efficiant notionem, cui adiungitur ea, quæ in extremo vocabulo est, ut in Divin. 22, 72 *quos ut incolumes conservare, tueri, confirmare ac recuperare possimus* &c. Repugnaret in Catil. II, 13, 29, nisi ibi codd. et Stephani auctoritate delendum esset *atque.* Ut igitur ad fragmentum illud redeam, non dubito, quin Cicero *finem diuturnæ turpitudinis et servitutis afferret* scripserit; Manutium autem hactenus verum vidisse puto, ut id eum vocabulum restituisse credam, quod ad *servitutis* adscriptum esset. Idem Manutius verissime vidit in argum. Cornel. p. 93 (949 Gr. 18 Sch.) *prætore* ab interprete additum esse ex iis, quæ paulo ante scripta sunt. Simile additamentum nescio an sit p. 95 (953 Gr. 186 Sch.) ubi in ed. I est: *simulacra effigies hominum;* alterutrum ab Asconio non esse videtur; sed peius est additamentum librarii alicuius in verbis Ciceronis, quæ posuit Asconius p. 99 (960 Gr. 22 Sch.) *Tertium est de legum*

abrogationibus, quo de genere persæpe senatuscon-sulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quæ derogaretur. Cicero posuerat, quattuor esse genera, in quibus senatus aliquid de legibus statueret; ex his uuum erat de legibus abrogandis, de quo iam dixit. Adparet hominem indoctum, quum, de qua re ageretur, notare vellet, nec satis rem teneret illa *de legum abrogationibus* addidisse, quum Cicero scripsisset, Asconius excerpsisset: *Tertium est, de quo genere* &c. Extremam huius fragmenti partem vitiosam esse patet; sanare non possum.

P. 102 (965 Gr. 23 Sch.) hæc ex Ciceronis oratione excerpta leguntur: *Idem, nisi hæc ipsa lex, quam C. Cornelius tulit, obstitisset, decrevissem id, quod palam iam isti defensores iudiciorum pugnaverunt, senatui non placere id iudicium de Sullæ bonis fieri* &c. Etsi difficile est in fragmentis de iis, quæ ad totam orationis perpetuitatem pertinent, aliquid statuere, hic tamen clarissime patet, sententiam Ciceronis corruptam esse. Et *nisi* quidem, etsi in edit. I deest, recte sane additum esse, tota sententiæ conformatio declarat, nec infrequentes huiusmodi vocabulorum, maxime particularum, omissiones in ea edit sunt. Sed neque recte Cornelii patronus se, quo minus id, quod vellet, decerneret, Cornelii lege impeditum dicit, neque Cicero id se decreturum fuisse dicere potest, quod aperte in Cornelii adversariis reprehendit; hos enim præclaros scilicet iudiciorum defensores, qui tantopere Cornelium quasi iudiciorum eversorem insectentur, pro ea ipsa re pugnare ait; tum

huic sententiæ satis aperte contrarium esse dicit id, quod ipse prætor in eadem causa egerit. Omnia componuntur et aptissima fiunt lenissima mutatione: IIDEM, *nisi-obstitisset,* DECREVISSENT *id, quod iam palam* &c. Vides Ciceronem legem Cornelii laudare et eorum hominum, qui iudicia tollere vellent, consilia ab eo impedita dicere. Gravius corrupta videntur fragmenta Ciceronis non longe hinc distantia p. 103 et 104 (Græv. 966. Schütz 24.) qui locus apud Hotomanum sic scriptus est: — *legem hanc Cornelii flagitabat, illam, quæ ex S. C. ferebatur, repudiabat]. Idque vir is doctissimus duorum Consulum designatorum calamitate.* ET EADEM DE RE PAULO POST. *Ut spectaculum illud duorum designatorum consulum calamitate, re et tempore salubre ac necessarium, genere et exemplo miserum ac funestum, videremus] P. Syllam* &c. Illa *vir is* &c., quæ hic Asconio dantur, Ciceronis esse, recte Patricius vidit; verba enim *et eadem de re* declarant, duos Ciceronis locos ab Asconio coniungi et ad eos intelligendos illa de Sylla et Autronio dici. Corruptas voces nemo restituit; nec tamen id fieri non potest, si animadverterimus verba illa *duorum designatorum consulum calamitate* altero loco, ubi et sententiam et orationis concinnitatem turbant, errore describentis repetita esse; priora illa in ed. I sic scripta sunt: *idque in rebus doctissimus;* Cicero scripsit: — *repudiabat;* IDQUE IURE UT DOCTI SUMUS *duorum consulum designatorum calamitate;* deinde: *Ut spectaculum illud re et tempore salubre ac necessarium,* &c. Iterum

laudat Cornelii legem, recteque eam a populo Romano flagitatam, ex eventu adparere dicit.

Mirus error commissus est in loco Ciceronis ab Asconio paulo post descripto p. 104 (p. 967 Gr. 24 Sch.), ubi sic edunt: *Plebem ex Maniliana offensione victam et domitam esse dicit, ante vestros annos* &c., quasi hæc omnia Ciceronis sint, quum nihil apertius sit, quam Asconium, ut solet, breviter rem, de qua in loco Ciceronis agatur, complecti [a]). In Ciceronis verbis *animos*, non *annos* legendum esse, vere suspicatus est Patricius; in edit. I scribitur: *ut omnino * ne illius potestate abalienemur*; in illo *ante* quid lateat, nescio; cætera sic scripta a Cicerone puto: *vestros animos--ut omnino* [a restitutio] *ne illius potestatis abalienentur;* &c.

Initio secundæ orationis Cornelianæ (vel potius post lacunam, ut dixi disput. crit. p. 33.) hæc Ciceronis verba posita sunt p. 107 (972 Gr. 27 Sch.) *Num in eo, qui sint hi testes, hæsitatis? Ego vobis edam duos. Reliqui sunt de consularibus, inimici tribunitiæ potestatis* &c. Hæc non recte habere, multis arguere possum, sed satis est veram lectionem verborum proponere: *Num in eo, qui sint hi testes, hæsitatis? Ego vobis edam. Duo reliqui sunt de consularibus* &c. Et *duo* est in edit. I; iam aptum est, quod scribit Asconius: *M. Lucullum et M. Lepidum significat* &c.

Difficilior est emendatio ultimi fragmenti ab

---

[a]) similem errorem attigi in disput. crit. p. 60 sq. not.

Asconio ex hac oratione positi p. 108 (974 Gr. 28 Sch.) *Hæc est controversia eiusmodi, ut mihi trib. pl. Cn. Domitius, Catulo M. Terpolius contemptissimum nomen eiectum esse ex iis, qui trib. pl. fuerunt.* In ed. I inter *mihi* et *tr. pl.* spatium vacuum est. Sigonius quidem et post eum ceteri plane desperant de Ciceronis sententia restituenda. Mihi tamen ex ipsa comparatione apparere videtur, hoc Ciceronem dicere, inter se et Catulum dissensionem esse de universo tribunatu plebis neque eundem utrique tribunum bonum videri; id mihi his fere verbis comprehensum videtur fuisse: *Hæc est controversia eiusmodi, ut mihi [probetur s. placeat] trib. pleb. Cn. Domitius, Catulo M. Terpolius, contemptissimum nomen electum ex iis, qui tribuni pleb. fuerunt.* De extrema sententiæ parte pæne adfirmaverim ita esse; quam sæpe illud *esse* a scribis et interpretibus intrusum sit, notum est; exempla exstant apud Wund. præfat. cod. Erfurt. p. XLI, p. XLII, p. LXXXII, p. XCII, et in epist. mea ad Orell. p. 38 et 49.

Hæc erant, quæ in Cornelianis probabiliter emendure posse mihi videbar; venio ad orationem in toga candida, in cuius orationis argumento Asconiano necesssario scribendum est cum Sigonio *eique rei*, ubi nunc est *ei quoque rei;* nulli alii rei intercessum esse Asconius dixit; et est hic error in libris scriptis frequentissimus; deinde p. 111 (979 Gr. 522 Or.) pro *quos spoliaverat* ed. I habet *qui spoliaverant*, ortum, ut alibi similia plusquamperfecta activa, ex *qui spoliati erant.* Recte autem retentum est p. 112 (987 Gr. 522 Or.) *e po-*

stremo in tertium locum esse subiectum, minus recte expositum; *subiici* enim proprie hic dicitur de eo, qui ex inferiore loco extollitur subito et evehitur.

P. 113 (981 Gr. 523 Or.) Ciceronis hæc verba proferuntur: *Me qua amentia inductus est ut contemneret, constituere non possum. Utrum æquo animo* (om. *animo* ed. I.) *laturum putavit? an in suo familiarissimo non viderat, me ne aliorum quidem iniurias mediocriter posse ferre?* in quibus ut nihil dicam de errore in *inductus est*, cuius in Asconii edit. I. tot exempla reperiuntur in hac ipsa voce *est*, ut satis pateat, antiquam scribendi rationem male expressam esse, vocabulum *non* additum est contra ed. primæ auctoritatem; præterea minus apte hoc loco *an* ponitur, quod sine dubio Cicero subiecit aliam contemtus, causam adferens; nam nunc primam reiicit; itaque scriptum esse a Cicerone puto: AT *in suo familiarissimo viderat &c.;* hæc est enim propria particula, quum statim huiusmodi interrogationibus refutatio adiungitur. Gravius corruptum videtur fragmentum positum p. 114 (p. 982 Gr. 524 Or.) *Quamobrem augere etiam mercedes si vultis, Q. Mucium perverti legem impedire ut cœpit senten. Cos. ego* (ed. I. *senter cos. sed ego*) *ea lege contentus sum, qua duos coss. designatos uno tempore damnari vidimus.* His verbis Sigonius et Patricius cæterique Ciceronem senatum alloqui putaverunt, quum apertum sit et ex verbis *si vultis* et ex mercedis mentione et ex exitu sententiæ Ciceronem in competitores invehi, eosque cum vehe-

menti indignatione et contemtu in intercessione comparanda contra legem, qua ambitus tolleretur, perseverare iubere. Hoc invento, verborum quoque emendandorum, quæ illi pro conclamatis reliquerunt, via inventa est, si non certa, at probabilis tamen. Videtur enim Cicero ita scripsisse: *Quamobrem augete etiam mercedem, si vultis, Q. Mucii! Perseveret legem impedire, ut coepit senatus consultum; ego ea lege contentus sum &c.* Malui *mercedem*; nam *mercedes* vix dicuntur nisi de reditibus plurium rerum. Error ortus ex *mercedē* sequente litera *s*. *Mucii* ex *Mucium* facio; potest *Muciū* non ita magno errore ex illo oriri; sed omnino, ut dixi, in his rebus libertas maior est in Asconianis, quam in iis scriptis, in quibus vel unus codex nec ita bonus adhibitus est; hic Poggii et reliquorum errores corrigimus. Id apparet ex fragmento Ciceronis paulo post posito p. 114 (983 Gr. 524 Or.): *A principibus civitatis? qui tibi, quum L. Vulcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt?* Hæc nihil aliud significare possunt, quam principes consilium habuisse et Volcatium consulem adhibuisse; res autem ipsa cum Asconii auctoritate clamat Volcatium consilium habuisse et in id principes civitatis adhibuisse; necessario igitur scribendum est: *L. Volcatio cos. in consilio fuissent*, neque in re certissima temeritatis crimen timendum. Verum ut in forma singulorum vocabulorum erratum est, ita eadem erroris suspicio ad tota vocabula et ad

eorum ordinem transferri eodem modo non potest; itaque pag. 115 (983 Gr., 524 Or.) ubi editur: *a plebe? cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo sine luctu adspicere, sine gemitu recordari posset;* — hic, inquam, dubitari non potest, quin aliter Cicero scripserit, quum in ed. I. sit: *ut nemo sine gemitu ac recordatione luctus aspicere posset.* Ad mutandum Manutium (ab eo enim est vulgata lectio) impulisse videtur, quod, quo tempore spectaculum illud præberetur, neminem luctus ex eo capti *recordari* potuisse videbat; voluit igitur *aspicere* ad illud tempus, *recordari* ad id, quod insecutum est, referri. Sed omnino Cicero, si de illo tempore locutus esset, ipsum luctum, non recordationem commemorasset; deinde aptius est ad Ciceronis consilium dicere, quo animo hoc ipso tempore plebs sit propter scelus antea commissum. Ne recte quidem dici videtur *spectaculum adspicere.* Legendum igitur videtur: *ut* TE *nemo sine gemitu ac recordatione luctus aspicere* POSSIT.

Paulo post pag. 115 (983 Gr. 524 Or.) ita scribitur: *Ne tamen erretis, quod his temporibus ædes Apollinis in Palatio sit nobilissima: admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, ne puto, quam post mortem etiam Ciceronis multis annis Imp. Cæsar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit.* Sed *ne puto,* ex quo Orellius fieri vult *in Palatio,* in Hotomani editionem errore irrepsit; in ed. I. est, ut in cæteris, *ut puto,* quod perversum esse, recte

Orellius iudicat; sed emendatio facilis et certa: *utpote quam — fecerit.* Sed alius multo gravior error hic esse videtur, quem indignor me nunc demum animadvertere; nam illud *sit nobilissima* Manutii est; edit. I. reliquæque veteres *fuit nobilissima* habent; et per se quidem indicativus sine dubio præstat, quum rem sane certam ponat, et propter eam ne errent filii, caveat; historiane hanc lectionem admittat, quæritur; ac mihi sane tum alioquin probabile videtur, tum ex hoc loco fere certum, ædem illam Apollinis Palatini ab Augusto ædificatam Neroniano incendio conflagrasse, etsi de huius templi interitu nihil traditur [3]). Primum Tacitus Ann. XV, 39 negat sisti potuisse, quin *et palatium et domus* (Neronis) *et* CUNCTA CIRCUM *haurirentur,* similiterque Dio Cass. 62, 17 p. 1015 Reim. τό, τε γὰρ Παλατῖνον ὄρος σύμπαν — ἐκαύθη. Erat autem illud templum in parte domus Palatinæ. (Sueton. Aug. 29.) Deinde idem Tacitus, præterquam quod universe templa et porticus interisse scribit, hæc addit: *exin monimenta ingeniorum antiqua et incorrupta, quamvis in tanta resurgentis urbis pulchritudine, multa seniores meminerint, quæ reparari nequibant* [4]); hæc

---

3) Cfr. Silv. Lürsen de templo et biblioth. Apollinis Palatini (Franequ. 1719. 8.) p. 226 sq., qui læsam esse eo incendio hanc bibliothecam, disputat.

4) Sic hunc locum legendum puto; suo tempore seniores, qui iuvenes ante id incendium fuissent, multa huiusmodi meminisse facile posse dicit; Neronis tem-

facile intelligitur ad celebres bibliothecas pertinere; mihi videntur maxime in Palatinam cadere. Non ignoro, duobus locis eam bibliothecam a Plinio Maiori commemorari tanquam stantem (7 c. 58 et 34, c. 7;) quamquam alter locus alio quoque referri potest et refertur ab Lipsio et aliis; sed restitutam illam bibliothecam, ut alias restituit Domitianus (Sueton. Dom. 20) non nego; meam autem sententiam maxime confirmat, quod Gellius et alii non raro Ulpiam et Tiberianæ domus et Pacis bibliothecas commemorant, Palatinam nunquam, omnium antiquissimam et nobilissimam, vix omissuri, si integra permansisset. Nam quod Io. Sarisberiensis, (Policrat. II, 26) quum libros vetustos a Gregorio I pontifice maximo combustos significaret, usus est versu Horatii ex Epist. lib. I, 3, 17, ex eo nihil confici non monerem, nisi ita Lipsius putasset (de biblioth. c. 7.) Hæc igitur si vera sunt, Asconius hanc commentariorum partem composuit non solum imperante Nerone, quod ostendere studui in disput. mea p. 4, sed extremo Neronis tempore post a. 817, senex prope septuagenarius; confirmaturque omnino nostra de Asconii ætate sententia.

P. 115 (984 Gr. 525 Or.) '*Quid tu potes*

pore, (ad id enim pertinere debet *meminerant*) non minus iuniores sciebant, non solum meminerant, quid perisset. Qui *quamvis-meminerant* coniungunt, obliti videntur, memoriam non levare iacturam *monumentorum antiquorum et incorruptorum*. Apparat, me paulo ante cum Ernestio scribere *quæsitas* pro *quæsitæ*.

in defensione tua dicere, quod illi ne dixerunt? quæ tibi dicere non licebit. (Alii interpungunt *in defensione tua dicere?*) Comparat Cicero Catilinam cum Luscio et Bellieno, hominibus propter scelera in turbis Sullanis commissa damnatis, Catilinæque vel peiorem esse causam, si accusetur, ostendit. Iam priorum huius fragmenti verborum sententia adparet, dummodo animadvertamus in edit. I esse, *quod illi non,* ubi nunc est *ne.* Negat Cicero Catilinam quidquam pro se dicere posse, quod non pro se Luscius et Bellienus dixerint. Legendum est igitur: *Quid tu potes in defensione tua dicere, quod illi non dixerint?* Cætera non tam emendanda sunt, quam quid exciderit, videndum; alterum enim erat, illos dicere potuisse, quæ Catilina non posset; id hoc fere modo scripserat Cicero: *[illi multa dixerunt], quæ tibi dicere non licebit;* propter vicinitatem verborum *dixerint* et *dixerunt* nonnulla omissa sunt. Sed gravius erratum est partim a librariis, multo autem magis ab editoribus in proximis. Ciceroni enim illa tribuunt p. 116: *Is ergo negat ignarum esse* &c., in quo primum quæro, quis neget; deinde miror subito a Catilina orationem averti, et idem fere dici planius, quod breviter Catilinæ instans ante dixerit. Tum vero absurdum est, Asconii verba Ciceronis verbis particula *autem* adiungi. Scilicet nihil apertius est, quam omnia illa verba Asconii esse, qui postquam, qui homines significentur, dixit, sententiam loci ita exponit: *His ergo negat* (Cicero) IGNOTUM *esse, quum etiam imperitos se homines*

esse, et, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse dicerent, ac negare quoque possent; (ita suppleo: neque *possent* neque *posse* in ed. I est, nec spatium;) *Catilinam vero* &c. Paulo ante in eadem nota Asconii verba ita distinguenda sunt: *tres cædes proscriptorum. Circa eosdem dies L. quoque Bellienus* &c. Paulo post eadem pag. (985. Gr.) indigno modo neglecta est egregia emendatio in verbis Ciceronis: *Quid ego, ut violaveris provinciam, prædicem, cuncto populo Romano clamante ac resistente? Nam, ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es.* Si, quemadmodum se Catilina in provincia gesserit, non audet dicere, sane, ut illam violaverit, non est cur audeat. Præterea aliquid coram populo Romæ gestum significatur; nam provinciam violanti cunctus populus reclamare ac resistere non poterat. Itaque, quamquam *violaveris* est etiam p. 112 (980 Gr. 523 Or.) tamen recte Patricius *involaveris in provinciam* emendat. Cætera, quæ proposuit, improbanda sunt. Postremum huius orationis fragmentum p. 118 (988 Gr. 526 Orell.) in edit. I sic scribitur: *Hunc vos scitote licinium gladiatorem iam immisisse capillum catilinæ iudic, quā. Q. ue curium hominem questorium.* Id adnotare visum est, ne quis, reperta illa locutione *immisisse capillum,* veram lectionem se reperisse putaret; (video enim fingi aliquid posse de Licinio capillum promittente in Catilinæ, sodalis, iudicio, quod facile refutari potest;) videtur latere

nomen hominis (*C. Attilium* aut simile quid), qui iudex Catilinæ fuerit.

In proximis commentariis orationum in Pisonem et in Scaurum pauca emendare potui. Ad Pisonianæ init. p. 120 (591 Gr. 515 Sch.) quæ tradita sunt de Placentia colonia, in iis non unum librariorum mendum est. Primum deducta dicitur pridie Kal. Ian. primo anno belli Punici secundi Cornelio Scipione T. Sempronio Longo Coss., in quo recte hæsit Drakenborch ad Liv. XXI, 25, 2; quum enim illo tempore consulatum iniri solitum idibus Martiis ex multis Livii locis constet, (vid. XXII, 1, 4, XXIII, 30, 17, XXXVI, 1, 1 et qui præterea loci in indice Drakenborchii congesti sunt [5]), sequitur, ut extremo illorum consulatu deducta sit; id autem fieri non potest; tum enim Hannibal iam in Italia versabatur; et interiectum inter coloniæ deductionem et Hannibalis adventum aliquantum temporis, patet ex iis, quæ narrantur apud Polyb. III, 40 §. 6 sq. et apud Liv. XXI, 25 sq. Sed quod Drachenborchius statuit, deductas Placentiam et Cremonam colonias M. Livio et L. Æmilio coss., nodum incidit, non solvit, quum nomina aliorum consulum Asconius ponat; et sane Polybius iisdem, quibus Asconius, coss. deductas narrat. (l. c. §. 3. *ἐν ὅσῳ δ' οὗτοι* (Πόπλιος Κορνήλιος *καὶ* Τιβέριος Σεμπρώνιος) *περὶ τὰς καταγραφὰς. ἐγί-*

[5]) Ex historia anni 532 Varr. (Pigh. Ann. II p. 126.) non tum id institutum esse adparet, sed iam receptum more fuisse.

γνοντο τῶν στρατοπέδων καὶ τὴν ἄλλην παρασκευὴν, ἔσπευσαν ἐπὶ τέλος ἀγαγεῖν τὰ κατὰ τὰς ἀποικίας ἃς ἤδη πρότερον ἦσαν εἰς Γαλατίαν ἀποστέλλειν προκεχειρισμένοι. Hæc gesta, quum Hannibal, Sagunto capto, iam Pyrenæum transire conabatur §. 1. Neque me movet, quod Livius has colonias deductas retulit in libro vicesimo. Nam aut initium Scipionis et Longi consulatus in illum librum coniecisse videtur, ut proximum a narratione earum rerum, quæ ad Hannibalem pertinerent, ordiretur; nec sane initum ab iis consulatum narrat in libro XXI. (*Consules tum erant* 6, 3.); aut quum de consilio deducendarum coloniarum exponeret, quod ante captum fuisse Polybius significat, simul deductas narravit. Itaque arbitror legendum esse in Asconii adnotatione, una litera mutata, *prid. Kal. Iun.* Ita omnia conveniunt. Nam inter hoc tempus et Hannibalis adventum non ita breve spatium est. Deinde apud Asconium apertum est, scribendum esse paulo post: *sex millia hominum novi coloni deducti sunt, in quibus equites *. Deducendi fuit causa* &c. Excidit numerus equitum inter colonos deductorum. Causa non equitum deducendorum, sed coloniæ notatur. Tum deduxisse dicuntur eam coloniam *triumviri P. Cornelius Asina, P. Papirius Maso, Cn. Pompeius sive Cn. Cornelius Scipio.* Sed particulæ *sive* in edit. I nullum vestigium est, neque apta hoc loco illa particula, neque omnino, si dubitasset, ita videtur scripturus fuisse: *Deduxerunt triumviri,* &c. Scilicet præ-

nomen *Cn.* librarium oscitantem impulit, ut, quod bis ante paucos versus *Cn. Pompeii* nomen scripsisset, hic idem scriberet, deinde, errore animadverso, verum poneret, falsum non tolleret. Dubitatio a Livio (XXI, 25) commemorata ex eo orta videtur, quod triumviros ad diversa negotia missos confuderint. Quod denique in hac eadem adnotatione paulo ante perverse scriptum est: *ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur*, vocabulum *gratia* a Manutio additum est: videtur Asconius scripsisse *gerendo magistratus*; certe hic sensus fuit; res nota est.

Ad orat. pro Scauro p. 136 (1011 Gr. 243 Sch.) Asconius de Iuliis agens, *Lucius*, inquit, *et prœtor et consul fuit.* Quid opus in dignitate hominis significanda præturæ commemoratione, quæ consulatus dignitate obruebatur? aut quid ineptius, quum illo tempore nemo consul fieret, qni non prætor fuisset? cur denique omittitur summus dignitatis cumulus, censura, quam gessit hic Lucius cum P. Licinio Crasso a. 665? Porro in edit. I est: *et cons. et pretor fuit;* scripsit Asconius *et consul et censor;* mutatum id est propter præturæ in fratre mentionem. Proxima pag. 137 (1012 Gr. 245 Sch.) quæ Asconius de C. Claudio, Appii et Publii fratre scripsit, corrupta sunt nec a Beiero (Fragm. Cic. Oratt. p. 190) recte constituta. Neque enim ipse Caius se, utrum patricius an plebeius futurus esset, dubitare dicebat, sed Cicero hoc urbane irridens finxit; nec sane alia nisi in illo fingendo urbanitas hic est. Mendum est igitur

in *se*, cætera verissima sunt in ed. I scriptura; (Ambrosiani codd. *que* et *quis* pro *quia* habent;) *ipsum quoque* an *C. quoque* scribendum sit, nescio.

Paulo plura in Milonianæ commentario emendari a me possunt.

In argumento p. 141 ubi est *in tabernam proximam Bovillano delatus est*, scribendum est *in Bovillano*; inepte enim taberna dicitur *propinqua* (agro) *Bovillano*; erroris origo facile intelligitur. P. 142 primum pro *exturbari tabernam iussit* (quasi taberna latitans eiicienda fuerit) legendum est *exturbari tabernâ iussit*. Lineola ista in Asconianis interdum male addita est, unde nunc legitur ad orat. in tog. cand. p. 116 (985 Gr. 525 Or.) *Dicitur, Catilinam adulterium commisisse*, et ad Mil. 14 p. 153 *dicitur servo P. Clodii sicam excidisse* [5]). Deinde, ubi est: *unde venerat*

---

[5]) Alia est ratio formulœ *dictum est*, id est, a me narratum et expositum. Altero illo dicendi genere Tacitus quoque semel usus videtur Hist. IV, 52 (*Titum — multo apud patrem sermone orasse dicebatur*) quum altera sæpissime utatur. Sed qui transpositorum in codice Taciti, unde cæteri codd. descripti sunt, foliorum imaginem animo proposuerit et vestigia literarum persecutus fuerit, intelliget Tacitum IV, 46 scripsisse: *sed immensa pecunia tanta vis hominum retinenda erat*; (quœ verba alii interpolarunt, alii in suspicionem vocarunt,) cap. autem 52. *Titum — orasse* FERUNT, *ne* &c. Illud *dicebatur* additum est, quum, quid in literis *fer̄* lateret, non viderent. Poterant hæc pluribus dici; sed opus non est.

gressum recepit, in ed. I. legitur *unde erat regressum recepit,* ex quo efficitur *unde erat egressus, se recepit.* P. 146 editur: *cum crebresceret rumor, Cn. Pompeium creari dictatorem, neque opportune aliter mala civitatis sedari posse;* in ed. I est *neque oportere;* scribendum est, transpositione facta: *Cn. Pompeium creari dictatorem oportere neque aliter* &c.

Ad c. 14 p. 155 legitur: *De oppugnata domo nusquam adhuc legi. Pompeius tamen, quum defenderet Milonem apud populum de vi, accusante Clodio, obstitit.* Cui tandem homini aut rei obstitit? aut quid hoc ad domum L. Cæcilii a Clodio oppugnatam pertinet? Scribendum est *obiecit.* Asconius eam rem neque in actis neque apud Fenestellam repererat; eodem tamen crimine Pompeium usum dicit; apte deinde addit, aliquid, quod eodem pertineat, a Tirone narratum esse.

Ad c. 35 p. 159 (945 Gr. 545 Sch.) scriptum est: *et quum ei præmium lege daretur, negavit.* Non recte *negavit* positum est, quum *repudiavit* dicendum esset; sed in edit. I legitur: *negavit. reo ita subscripserunt,* ex quo oritur vera scriptura *negavit se eo uti. Subscripserunt* &c. Eadem pag. (946 Gr. 546 Sch.) de M. Saufeii causa exponitur his verbis: *manifestumque odium Clodii saluti Saufeio fuit, quum eius vel peior causa quam Milonis fuisset, qui aperte dux fuerat expugnandæ tabernæ repertus. Deinde post paucos dies apud Considium quæstorem lege Plautia de vi, subscriptione eadem accusatus est, quod*

loca occupasset et cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis. In his primum *dux fuerat repertus* non bene dicitur; deinde in ed. I voces *accusatus est* omittuntur, scribiturque *subscriptione ea;* extrema verba sic leguntur: *quod loca* * (spatium vacuum) *occupasset et cum telo fuisset nam * operarum milonis.* Vera huius loci forma est: *quia aperte dux fuerat expugnandæ tabernæ. Repetitus est deinde — apud Considium quæsitorem — subscriptione ea, quod loca [munita] occupasset et cum telo fuisset;* extremis quæ vocabula desint, non possum constituere. *Repetere* de reo iterum accusando dicitur; subscriptio est brevis criminis, quo quis accusatur, comprehensio. Quæsitor pro quæstore sæpius in hac adnotatione substituendus est.

Hæc erant fere quæ ad Asconii commentarios nunc quidem conferre poteram, quos si quis propter Asconii nomen minus nobilitatum non curat, Ciceronis certe orationum fragmenta aliquando paulo diligentius tractari non nolet, quam partem ab operum Ciceronis editoribus fere neglectam esse, satis constat; quod quum in iis reprehendendum putem, non abhorret ab hoc iudicio, fragmentis Ciceronis, quæ in commentario Ambrosiano a Maio edito insunt, paulum operæ impendere et paucos quosdam errores tollere.

Primum apud Maium p. 69, ap. Beier Fragm. Cic. Oratt. p. 91, ap. Orell. T. II. p. 2 p. 152 ex oratione in Clodium et Curionem hæc verba exstant: *Ut ille iudicio tamquam é naufragio nudus emersit.* Scribendum esse *e iudicio*, adpa-

ret. Gravior est error pag. 70. ubi Ciceroni tribuuntur verba *Augent* (B. *augens*) *magnum quendam cumulum æris alieni,* quæ neque ipsa Ciceroniana videntur, et pessime diuelluntur a proximis interpretis verbis. Ad verba Ciceronis *Creditoribus suis spem ostentare provinciæ videretur* interpres adnotavit: *Et defeneratum hac in parte significat, augens magnum quendam cumulum æris alieni, quod non &c.* Monendi lectores sunt, in codice Ciceronis et interpretis verba eodem literarum genere scripta esse, nec, si speciminis Maii editioni adiecti tabulæ secundæ, in qua verba ex orat. de ære alieno Milonis exhibentur, credimus, spatiis ullis disiungi, quod persuadere aliis voluisse videtur Maius p. 104 not. 6. Idem error in verbis Ciceronis et interpretis separandis alios genuit. pag. 73 (p. 97 B. 153 Or.) ubi Ciceronis hæc esse putantur: *Cuius satisdationes semper indicuntur induci.* Beier *iudicantur induci* edidit contra sermonis usum: postea Kreyssigii coniecturam *dicuntur induci* probavit, qua languida fit oratio, omnisque vis ironiæ tollitur. Legendum est: *Cuius satisdationes semper inducuntur.* Hæc Ciceronis sunt, ad quæ interpres: *Induci satisdationes dicit rescindi sententia prætoris.*

Ex oratione de ære alieno Milonis p. 99 hæc afferuntur: *Nisi vero liniamenta hominis et nomen figuris positum, non naturis putas.* Hic neque orationem rectam esse neque sensum ullum, omnes videre puto; quid est enim *liniamenta in figuris posita esse?* Et est in codice *hominis no-*

men et figuris: priora num ita scripta fuerint, ut Maius edidit, nescio; neque enim raro eum errasse, nunc satis omnes norunt. Apertum est, irridere Ciceronem, siquis, propter externam speciem homines appellatos putet, non propter animum; scripsit autem ita: *Nisi forte in liniamentis hominis nomen et figuris positum, non naturis putas.* Decepit aut librarium aut Maium disiunctio eorum, quæ sensu cohærent *liniamentis et figuris,* de qua re dixi in epistola ad Orell. p. 54 sq. Ne in interpretis quidem verbis p. 97 eam figuram Maius obliterare debebat: *Comminatur se et denuntiat actionibus eius adversarium futurum.* Ad ea autem verba Ciceronis, quæ emendavi, interpretis adnotatio sic scribenda est: *Definit,* (M. *definiti*) *hominis proprietatem non liniamentis corporum &c.*

Ex oratione de rege Alexandrino p. 103 hoc fragmentum positum est: *Si hercle in nostris rebus tam ad res, ad pecunias tam adtenti, tam avari soleremus esse.* Concinnitas membrorum turbata est, apparetque ad primum illud *tam* adiectivum deesse, tum non ferendam illam coniunctionem *ad res, ad pecunias.* Unius literæ mutatione hæc sanantur: *tam* ACRES *ad pecunias, tam adtenti, tam avari* &c. Eodem fere modo Terentius (Eunuch. 1, 2, 51) dixit: *ad rem est avidior.*

Pag. 104 sqq. Maius hæc pro Ciceronianis edidit: *Sed tamen, quæ sunt nostra iudicia, temptaverat Crassus adseverare, non semel de hac*

Ægypti severitate, sed frequentissime præiudicatum. Ac primo quidem, illo tempore, quo pecunia repitita ab Tyro, et advecta Romam videbatur, seposita iam nuper ab Alexa rege. Occurrendum est igitur ut hæc refutentur et in ipsa propositione. Deinde his adiungitur interpretis adnotatio: *Insigniter factum est, quod his verbis ingredi coeperit.* In sua autem adnotatione Maius hunc locum a se in priore editione paulum turbatum esse dicit; nunc satis sibi codicem prodere videri, quænam sint Tullii verba, quænam interpretis. Nescio, quid in priore editione sit; in secunda magna perturbatio est. Nam illa *temptaverat* &c. quis non videt cum superioribus non cohærere, nec ab oratore dici in senatu, sed narrari ab alio? Deinde in illis *occurrendum est igitur* quis non audit interpretem artificium orationis Ciceronianæ exponentem? Quis denique non videt, coniungendum esse *et in ipsa propositione insigniter factum est?* Itaque Ciceronis sunt: *Sed tamen quæ sunt nostra iudicia?* cætera interpretis, cuius adnotationis extrema pars coniungenda est cum verbis Ciceronis subiectis, colo posito. In verbis interpretis scribendum est *de hac Ægypti hereditate* (pro *severitate*) et *ab Tyriis et* (pro *ab Tyro et*; in cod. est: *Aptirei sed*).

Ipsum commentarium, in quo hæc fragmenta inclusa sunt, quum tantum propter memoriam rerum ex antiquiorum scriptis servatam magni faciam, non dignum iudico, de cuius verbis emendandis multa dicam. Sed tamen, quoniam utique

typis repetendus est, quidquid autem ita editur, quam emendatissimum edi debet, breviter, quo modo aliquot locos scribendos iudicem, dicam. P. 80 (p. 113 B.) pro *quoniam e reo* scribendum est *Quoniam vero;* p. 88 post *oportere* excidit *consulem fieri* aut *consulatum petere* aut simile quid; p. 95 pro *in senatusconsultum* (cod. *senatusconsultus*) scribendum est *in SCtis;* p. 99 (fere ex cod.) *Quia P. Clodium ad feræ alicuius et beluæ similitudinem adscripsit, etiam* &c.; p. 113 *quæstio coniecturalis* pro *quasi ccniecturalis;* ibd. *adscitus* pro *adsociatus* (cod. *adsocius*); p. 115 *et ingenii dignitate maiore;* p. 118 *quamvis ætate provectior, tamen famosi oratoris nomen obtinuit;* p. 135 *Quod in totum* pro *quo sin totum;* iterum *in totum* dixit p. 170; p. 136 *laudibus suis plurimis et meritis* (pro *demeritis*) *erga rempublicam tribuens;* p. 139 *hominum perditorum* pro *publicorum;* p. 149 *ut ex hostia civitates adiacentes;* p. 156 *pro rigore duritiæ suæ* ubi est *pro vigore d. s.;* p. 161 *Diffidentia* pro *Differentia;* p. 162 *Verum specta diligentius* pro *Verum specta licentius* [6]); p. 170 *in iudiciali de-*

---

6) Idem est mendum, quo apud Gell. XV, 3 *vir acerrimæ in studio literarum licentiæ* M. Tullius dicitur, et Quintilianus apud vitæ Tibulli scriptorem, defendente miro modo Huschkio in Analect. literariis (Lips. 1826) p. 300 sq. not. Neque *licentia* qua ratione ad hunc sensum detorqueri potuerit, docet, et Gellii sententiæ sola apta est diligentiæ commemoratio, et ea

certatione pro *i. i. dissertatione;* p. 171 *merito hæc ab eo dici potuisse,* [si pro Ci] *spio Tullius impetrasset; porro autem, cum pro Cispio non obtinuerit;* p. 172 *Ne hoc igitur ei deesse* (sic cod.) *ad gratiam confiteretur, animo — fuisse, sed — non expetisse se dicit;* p. 174 *exseruerat asperitatem stomachi sui* pro *exercuerat* &c.; *p.* 176 *Scholastica levitate quasi nimis sectantem huiusmodi locos* (iocos?) *M. Tullium videbatur denotasse Laterensis* &c., p. 181 *promens* pro *provolvens;* p. 185 *idque negotium* pro *id nempe negotium* (cod. *id neque*); p. 187 *detrahit ei* pro *detrahit et.* Poterant ex his nonnulla ambitiose exornari; sed in his quisquiliis longus esse nolo; potius quoniam ad fragmenta Ciceronis librorum delatus sum, ex anonymi illius hominis commentario unum addam et corrigam. Nam ad Lib. 1 in Verr. 20 extr. (p. 460 Gr.) Hortensium signis et tabulis pictis familiariter delectatum scribit; id manifestum fieri ex Hortensio dialogo: *cum in villa Luculli bellum esset omnia apparatu venustatis ornatum.* Schuetzius, quum tacite *Hortensii* edidisset, scripsit *balneum omni apparatu venustatis ornatum;* sed neque balneum in Hortensii villa ad disputationem apud Lucullum habitam (vid. fragmentum libri tertio loco positum) pertinet, neque omnino balneum ullum; neque eum locum signis tabulisque pictis exornari solitum, legi. Scribendum est: *Quum in villam*

acris dici solet. Error ortus est ex similitudine literarum *di* et *li.*

Luculli ventum esset, omni apparatu venustatis ornatam, et hoc fragmentum ante id ponendum, quod significavi: '*Lucullo quidem noster adventus et gratus et iucundus fuisse.* Ad eandem rem, signa et tabulas pictas, non, ut Sigonius putabat, ad eloquentiam, spectat fragmentum quinto loco positum ex Nonio. ' Posita hæc in exordio sermonis erant.

Sed satis iam diu in fragmentis conquirendis versari videmur, ut iam respiciendum sit ad ea, quæ integriora ad nos pervenerunt. Instituenti enim mihi quæstionem de commentariis illis Verrinarum orationum, qui Asconii esse credebantur, in ipsis prioribus orationibus nonnulla occurrebant de quibus rectius, quam factum esset ab aliis, mihi iudicare videbar; alia autem iam antea, quum de extremis harum orationum libris commentabar, collegeram, quæ hic exponi nec per se ineptum videtur, quoniam aliquid ad hanc Ciceronis operum partem iam attulimus, et faciendum id eo magis est, quod nonnulla ex his attigi in disputatione de Asconio [7]). Ac primum quidem quoniam in libro quarto et quinto id genus emendationis persecutus sum, ut additamenta librariorum tollerem, et interpretationibus eorum eiectis veterem meliorum codicum lectionem restituerem, dixi alibi, partim in his prioribus libris paulo fortasse minus late patere illud corruptionis genus (nam

[7]) maxime pag. 101 sq. not.

alia et antiquá vitia hic sunt) partim subsidia ad hanc rem plane perspiciendam non adesse [8]). Sed tamen aliqua huiusmodi vitia et deprehendi et tolli possunt, estque in his libris eadem codicum familia præstantior, quæ in postremis; sed huius familiæ unus codex paulo accuratius collatus est, Leidensis, ipse negligentissime scriptus et interdum interpolatus, sed aliter, quam cæteri vulgares; reliqua ex Stephani et Lambini auctoritate repetenda sunt. Exempla aliquot ponam. His igitur libris obsequentes Divinat. 4, 11 tollemus *diu;* Cicero potius scripsisset *spectatam iam diu et cognitam;* etsi omnino non *diu* sed *dudum* cognita fides erat; alio enim modo dicitur *diu cupimus* et similia, id est, diu in ea cupiditate fuimus et nunc sumus. Ibd. 4, 15 ubi editur: *At enim cur a me potissimum hoc præsidium petiverunt? Si esset dubium, petissent a me præsidium necne, dicerem, cur petissent;* hic, inquam, iidem libri sequendi delendaque sunt altero loco illa *a me præsidium;* omnis vis est in verbo, frangiturque oratio et perit concinnitas illo additamento; relata enim inter se sunt *petissent necne* et *cur petissent.* Quod hic rationi, in minutis rebus spectatæ iam auctoritati dandum est, ut 5, 49 *fuit* tollamus et 7, 23 *is:* multo autem magis Act. 1, 3, 7 eiiciendæ sunt voces *ac testimoniis,* quum Cicero studiose orationem variaverit,

---

8) vid. quæ scripsi in epist. ad Orell. p. 9 et disput. crit. loco nuper citato.

et *testibus* privatis publicas *auctoritates* adiecerit Manifesta librarii interpretatio est Act. 1, 15, 43 ubi recte Ernestius edidit *tempus vobis hoc divinitus datum esse*, quemadmodum est in cod. Leid. et Guelf.; *opportunissimum*, additum ad explicandam vim verborum *divinitus datum*, Stephanus quoque et Lambinus omittunt. Non minus apertum est Lib. 1, 12, 32 vocabulum *peccatisque*, quod Steph. et Lamb. codexque Leid. omittunt, delendum esse: nimis enim lenis est hæc vox et vulgaris post grave et proprium flagitiorum nomen; est hoc unum ex infinitis exemplis interpretamenti per particulam adiuncti. Lib. 1, 34, 87 recte omittitur ab iisdem editoribus alterum *te* in verbis *Si te magnitudo maleficii, si te hominum existimatio;* nam in huiusmodi repetitione coniunctionem proxime sequitur ea vox, in qua vis orationis est; vis est autem non in persona, sed in rebus, quæ Verrem movere debebant.

Vellem eadem auctoritate uti in iis, de quibus nunc dicam; sed sola rationis vi pugnandum est; videntur enim in his libris additamenta nonnulla esse nostris codicibus antiquiora. Ex his duo in extremo actionis primæ capite deprehendere mihi videor. Primum c. 18, 53 scribitur: *Non patiar rem in id tempus adduci, ut Siculi, quos adhuc servi designatorum consulum non moverunt, quum eos novo exemplo universos arcesserent, eos tum lictores consulum vocent.* Miror neminem in durissimo hoc anacolutho offendisse, quod ego, qui multa defenderim anacolutha, non fero.

Nam neque, quæ solet esse anacoluthi causa, longa et impedita est periodus, neque, quæ semper apud Ciceronem deprehenduntur, hic ulla sunt vestigia orationis in orbem redeuntis et se quasi revocantis; denique ipsa orationis forma accurata est et tanquam ad regulam facta, relativo præcedente, demonstrativo subsequente (*ut, quos — eos tum*), ut ista perturbatio hoc loco esse nullo modo possit. Accedit ad argumenta ex orationis structura ducta aliud ex ipsa sententia, quæ aptior est, si, nomine hominum non adiecto, ea sola ponuntur, quæ inter se referuntur: *ut, quos servi non moverunt, eos lictores vocent.* Itaque dubium mihi non videtur, quin *Siculi* adscriptum ab interprete sit, quinam intelligerentur, indicante. Id ita esse, perspici posse puto ex Lib. II, 6, 17, ubi editur: *Nolebat in agendo discere (tametsi non provinciæ rudis erat et tiro) sed in Siciliam paratus ad prædam meditatusque venire cupiebat.* Rectius ad illa *nolebat — discere*, quæ universe dicuntur, referetur, excluso provinciæ nomine, *sed paratus ad prædam* &c. Præterea loci significatio inest in vocibus *ad prædam,* coniungendis non cum *paratus* sed cum *venire.* Jam in codice Metelli est *Siciliæ,* non *in Siciliam;* puto apertum esse, hoc vocabulo *provinciæ* perverse sane adscriptum in verba Ciceronis irrepsisse: et vidit id Gulielmus. Redeo ad actionis primæ exitum. Nam c. 18, 55 ubi Cicero rationem suam causæ agendæ exponit, nunc scriptum est: *ita testes constituam, ut crimen totum explicem; ubi id interrogando, argumentis at-*

que oratione firmavero, tum testes ad crimen accommodem. Neque tamen ita Ciceronem scripsisse, Hotomanus recte vidit. Testes enim ad crimen accommodare quid aliud est, quam testes producere et interrogare? itaque id non ante faciebat; deinde qui poterat interrogare, antequam crimen explicatum esset, quod argumentis et oratione fiebat? Itaque isto quidem loco interrogatio commemorari non potest, quæ recte significatur proximis verbis. Hæc per se firma confirmantur eadem ratione, qua paulo ante usus sum p. 7 sq.; neque enim Ciceroniano more coniuncta sunt *interrogando, argumentis atque oratione*[9]; neque sane Cicero ita gerundium et substantiva iunxisset, quum liceret aut tribus verbis aut tribus substantivis uti. Brevi præcidam. *Interrogando* additum est ab aliquo, qui hoc loco intrudendum putabat, quod paulo post recte dicitur *eadem interrogandi facultas, argumentandi dicendique.* Adversarii enim, testibus a Cicerone productis, nullo certo ordine adstringebantur. In tam certa re non me movet, quod commentarii scriptor hoc vocabulum in suo codice habuit, potiusque hoc exemplum ei addo, de quo dixi disputationis meæ pag. 101. Unum his addam ex tertio libro interpolationis exemplum; scribitur enim III, 49, 117 *Si ex lege, magno: si, ut lex esset libido tua*

9) Fugit me hic locus, quum quattuor me huiusmodi locos in Verrinis reperisse scribebam in epist. ad Orell. p. 39.

parvo; si, ut, quæ dimidiæ essent, decumæ vocarentur, parvo vendidisti. Mire prius illud *parvo* interiicitur, mire etiam ad id ex sequentibus *vendidisti* intelligitur; nec potest omnino, quum ad *magno* semel positum hæc vox referatur, ipsa bis poni; sed obscurata est præterea coniunctionis repetitæ vis; vera orationis forma restituitur eiecto isto vocabulo: *si, ut lex esset libido tua, si, ut — vocarentur, parvo vendidisti.* Orellius, Vir. Cl., quum præterea alterum *si* delendum putaret, particulam *ut* priore loco non recte interpretatus est. Sed de hoc corruptionis genere satis dictum est [1]); percurram alios nonnullos locos, ut iis aut ex libris aut ex coniectura meliorem formam restituam.

Divinat. 1, 2 ubi est *iucundam diuturnamque memoriam quæsturæ nominisque mei*, e cod. Leid. recipiendum est *præclaram diuturnamque*; utrum ex interpretatione ortum sit, dubitari nequit.

Ibd. c. 4, 12 delendum est pronomen *me* a Schützio et Orellio ex Menardi coniectura additum. Præiudicium non in eo erat, quod Ciceronem actorem suæ causæ quæsissent, sed quod omnino actorem; Cæcilius, quum negaret a Cicerone

---

[1]) Vix commemorarem Lib. II, 3, 6 ex cod. Fabricii et Metelli, id est, optimis, legendum esse *civium*, non *civium Romanorum*, vel propter præcedens *populi Romani*, nisi idem additamentum expulissem ex libri quinti loco aliquo epist. ad Orell. p. 20 sq. De numeris Beckio credendum non est.

petisse Siculos, ut causam ageret, a se petisse dicere non posset, negabat omnino, illos actorem quæsisse. Levis res est, sed ad proprietatem Latini sermonis non negligenda; *quæro actorem*, quum, quem reperiam, circumspicio; quum ab certo homine, ut actor sit, peto, non *quæro eum actorem*, sed sumo, constituo, esse volo, nisi latet et ideo quærendus est; quod in Ciceronem non cadit.

Ibd. 16, 54 editur: *utrum tandem censes hoc iudices gravius ferre oportere, te ab illo esse læsum, an provinciam Siciliam esse vexatam ac perditam?* Pronomen *hoc* et languet, nec recto loco positum est, et, si alteri sententiæ infinitæ *hoc* præmittitur, scribendum deinde videtur *an illud.* Accedit, quod in hac forma dicendi *Utrum tandem censes* plerumque *utrum* pronomen est, non adverbium. In Leidensi cod. est *nos* (et *inde* pro *iudices*); legendum est igitur: *utrum tandem censes hos iudices gravius ferre oportere? te ab illo esse læsum, an provinciam Siciliam esse v. a. p.?* Prius *esse,* si ad Lambini auctoritatem codex accesserit, delendum erit.

Ibd. 18, 60. Recte factum, quod Orellius non improbavit codicis Meiningensis, ceteroquin pessimi, lectionem *sine nonnulla vituperatione. Sine ulla* dici in huiusmodi sententia nequit; nam affirmationi *sine ulla vituperatione accusare potes* opposita est hæc negandi ratio: *sine vituperatione accusare non potes; nonnulla*, ut alibi, est aliqua non maxima, sensusque idem est ac si dicas: *Qui nonnullam iam vituperationem subis, si iniuria affectus ac-*

cusas &c. Sed de pronominibus indefinitis alius mihi dicendi locus propositus est. Vereor autem, ne hæc scriptura in codicibus conferendis neglecta sit; nam in marg. ed. 1577 ex veteri codice ad proximum *nulla (si vero nulla)* notatur *non ulla.* Puto erratum esse [2]) et ad *ulla* pertinere, scriptumque fuisse *nonnulla.* Paulo post 19, 61 cum Steph., Lamb., codiceque Leid. scribendum est *publici muneris societatem.* Nulla est privata hujusmodi muneris societas: ne publica quidem igitur ulla appellatur; publici muneris societas gravior est, quam privatæ rei.

In Act. I, 7, 19 erratum est in scriptura codicum indicanda; nam ad prius *arbitrabantur* ex Leid. enotatum est *videbant;* id Steph. et Lamb. pro altero *arbitrabantur* ediderunt; certum est, Ciceronem has sententias, quibus diversa hominum genera variata oratione describat, non eodem verbo terminasse; sed error est in Leidensis cod. lectione, sive Burmannum oculi fefellerunt, sive Beckium; Cicero enim homines de vulgo minus subtiliter iudicantes describens *qui-arbitrabantur* dicit, deinde de iis, qui sagaci suspicione rem totam perspiciebant, aptissime subiicit: *qui-videbant.*

Ibd. 14, 41 *se avarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimæ victoriæ non posse.* Quæ sit nocens victoria, nisi ea, quæ noceat, scire velim, aut, si nocentis hominis sit, quo

[2]) cfr. epist. ad Orell. p. 18.

exemplo hoc dicatur a Cicerone; ne poeta quidem Latinus improbam victoriam impuri hominis nocentem appellasset; semper enim in transferendo vocabulorum usu propriæ significationis vestigia manent. Tum studiose has sententias exæquatas esse, apparet; ita autem *nocentissimæ victoriæ* respondere debebat *avarissima*, non *hominis avarissimi* cupiditas. Neminem opinor negaturum esse, scripsisse Ciceronem: *nocentissimi victoriæ non posse*; iam homini homo, res rei respondet; casus a librario ad proximum substantivum, ut fieri solet, adcommodatus est.

Lib. 1, 8, 22 mira est personarum mutatio in his verbis: *quanto periculo venturi* SIMUS *ad eos iudices, quos propter odium* VESTRI *populus Romanus de vobis voluerit iudicare.* In codd. Huydec. et Meining. est *nostri*, apud Steph et Lamb. *nobis*; satis hoc auctoritatis est, si in hac re auctoritate opus est, reponentibus *odium nostri* et *de nobis*.

Lib. 1, 9, 24. *morem illi geram: utar oratione perpetua: non quoniam hoc sit necesse, verum ut experiar* &c. Non magis in huiusmodi sententia *non quoniam* dici potest, quam *non quum*; vetat utriusque particulæ natura, non rei *causam*, si subtilius spectas, indicantis. Recte igitur hactenus in margine repetitionum Lambinianarum est *non quod*; sed scribendum est: *non quo iam hoc sit necesse.*

Lib. 1, 19, 49. *In Asiam vero postquam venit, quid ego adventus istius prandia, coenas, equos, muneraque commemorem?* Paulo brevius et durius, quam pro Ciceronis more, dicta viden-

tur *prandia* et *coenæ adventus*; sed plane insolens et ineptum *equi adventus*. Neque hæc illo uno adventu, quum in Asiam venit, sed ut quamque urbem ingressus erat, dabantur. Nimirum interpungendum est *adventus istius*, *prandia* &c. *Adventus* enim pluraliter dicuntur significanturque superbæ et sumptuosæ urbium, ut ita dicam, ingressiones, quem usum exposui in epist. ad Orell. p. 64. *Sumptus in adventum* Verris a Milesiis factus commemoratur 34, 86.

Lib. 1, 24, 63. Restituenda est lectio, quæ ante Beckium in editionibus erat: *ut eum suæ libidines flagitiosæ facere admonebant*; codicum quidem auctoritas in hac re pæne nulla est; tametsi *flagitiosæ* non in minus multis esse videtur; sed illa altera lectio plane intolerabilem pleonasmum habet; quum enim dicitur *ut eum libidines facere admonebant*, per se intelligitur, flagitiose facere admonuisse; deinde quum præcedat *ut mos istius erat*, debet profecto sequi eadem ratione, *ut facere admonebatur*, non *ut flagitiose facere*; quid duri habeat *suæ libidines flagitiosæ*, non video.

Lib. 1, 39, 99. *perinde quasi non, ut quæstor sine prætore, posset rationem referre (ut tu, Hortensi, ut omnes) eodem modo sine quæstore prætor*. Hæc ita Ernestius sensu, ut opinabatur, et linguæ legibus iubentibus interpunxit; in quo et ipse lapsus est et qui eum sequuntur. Quid enim apertius, quam in huiusmodi comparatione in alterius sententiæ initio necessario positas esse voces *eodem modo*? deinde quo modo inter ea, quæ comparan-

tur, interiicitur exemplum illud, quod, si ad alteram partem pertineret, tum denique, quum ex comparatione aliquid effectum esset, confirmandi causa adiiceretur? Itaque interpungendum est et scribendum: *perinde quasi non, ut quæstor sine prætore possit rationem referre (ut tu, Hortensi, ut omnes), eodem modo sine quæstore prætor.* Iam recte prior sententia exemplo addito confirmatur, tum comparando concluditur, idem prætorem facere posse. *Possit* est apud Steph. et Lamb. et in cod. Huyd. ac fortasse aliis; vel in altera interpunctione sic scribendum erat; in generali enim sententia Latine semper dicitur *quasi non possit*, nos ex nostro more *posset* dicimus, (in quo ipse erravi Emendd. in Cic. scripta philos. p. 160 in Acad. II, 18, 58,) quod Latini tum demum dicunt, quum de re præterita agitur (ut pro Sull. 19, 54) aut verbum ad præcedens tempus præteritum refertur, ut de Divin. II, 20, 46 *quasi concederem* arcte cohæret cum illis *multa verba fecisti.*

Lib. 1, 41, 106 iniuria improbata est Stephani et cod. Leid. scriptura *cui condonabat hereditatem;* neque enim condonarat tum hereditatem; sed in eo erat, ut condonaret ipso edicto scribendo. Ea vis imperfecti librariis ignota erat; *condonarat* ex correctione natum esse, perspicitur etiam ex eo, quod in cod. Huydec. est *condonavit.*

Lib. 1, 58, 151. *P. Iunii erat filius, quem pater moriens tum tutoribus et propinquis, tum legibus, tum æquitati magistratuum, tum iudiciis vestris commendandum putavit.* Quid hoc est com-

mendandum putavit? verene igitur Iunius filium magistratibus et legibus indiciisque se aliqua ratione commendare debere putavit, et commendavit? quid denique hoc ad eam rem, de qua quæritur? Immo moriens hunc, ut cæteros cives, putabat legum iudiciorumque præsidio tutum iisque per se commendatum, quod aliter evenisse Cicero queritur. Scribendum est igitur *commendatum;* et est hæc lectio in cod. Huydec. et Oxon. ψ, ut facile suspiceris in aliis quoque fuisse, qui cum his facere soleant. Melioris familiæ codicum auctoritate uti hoc loco non possumus. Paulo post Lib. 1, 58, 153. Cicero exponit, quanta omnium liberis pericula proposita sint, si Verris similes prætores habitura sit respublica, contra quorum iniquitatem a nemine defendi possint: *Quis est enim, qui tueri possit liberum nostrorum pueritiam contra improbitatem magistratuum? Mater, credo;* et paulo post: *Tutoresne defenderent?* Hæc extrema recte scripta non sunt; ita enim interrogat, quasi de re aliqua præterita dicat, tum neminem defendere potuisse, quum de futuro tempore anxius esse videri velit. Et sane, quum ita dixerit: *quis est, qui tueri possit?* id est, *quis tueri poterit?* non potest imperfectum illud subiicere; sed mendum apertum est et vulgare; scripsit enim: *Tutoresne defendent?* Quoties hæc commutata sint a librariis, omnes norunt.

Quoniam quæ ad primos libros pertinebant, exposita sunt, restat, ut de loco quodam libri secundi dicam, quem disput. crit. p. 102 not. inter

eos esse dixi, ex quibus vel maxime appareret, quam inveterata vitia in codicibus huius partis essent. Is est c. 13 §. 34. Paulo ante Cicero, quo iure Siculi in iudiciis uterentur, exposuit; hanc totam rem Verris iniquitate eversam dicit, qui aut non eos iudices dederit, quos oporteret, aut ita dederit, ut libere iudicare non liceret. Id primum in iis causis accidisse ostendit, in quibus Siculus cum Siculo eiusdem civitatis certarit. Iam cætera genera persequenda sunt. Sequitur *Selecti e conventu aut propositi ex negotiatoribus iudices nulli.* Permirum iam Ciceronem transire ad id genus iudiciorum, quod antea pæne ultimum posuit; quamquam plane eundem ordinem eum non servasse apparet ex iis, quæ sequuntur; sed tamen ita a Siculorum iudiciis ad ea, quæ propria videntur civium Romanorum, transgredi non potuit. Sed magis miror, neminem, quod sciam, animadvertisse, idem plane, quod hic dicatur, paulo post suo loco fere iisdem verbis dici: *de conventu ac negotiatoribus nulli iudices.* Nulla hic eiusdem rei varia elocutio, nulla copia est, nulla denique huiusmodi negligentia esse potest; itaque plane affirmo, utrumque a Cicerone scriptum esse non posse. Deinde subiiciuntur illa: *Hæc copia, quam dico, iudicum* et quæ sequuntur, quæ apertum est, nuper iam posita, (in illis *præconem, haruspicem, medicum suum dabat*), hic ad alterum genus ita subiici non potuisse; nec ad proximorum generum commemorationem quidquam huiusmodi adiungitur; omnibus autem generibus iudiciorum enumeratis, quum in nullis eos, quos

oportuisset, iudices fuisse, demonstratum esset, recte hæc universe de omnibus subiici poterant, ac pæne debebant. Accedit coniunctio huius loci et proximorum satis mira, in qua iam Hotomanus, Ernestius, alii offenderunt, non solum propter comparationem hominum et edicti reprehendenda, sed quod in hac ipsa comparatione non finitur oratio, sed ad edicti nomen subiiciuntur verba quædam: *Si quid* &c., quasi horum homines isti similes dicantur, aut quidquam in his maxime verbis ad denotandos eos aptum insit. Ne id quidem video, quomodo *sicuti* pro pronomine *quale* positum defendant, etsi scio dici *sic sunt homines* et similia; *eiusmodi, sicuti vides homines* non puto dici posse. Sed satis adparere arbitror prima huius loci verba esse variam scripturam eorum, quæ extrema hac sectione posita sunt, eaque cum iis, quæ proxime sequerentur, in hunc locum nescio quo errore ab antiquissimo aliquo librario translata esse. Iam vix fieri potuit, quin hac transpositione facta alia quoque turbarentur; sed tamen puto Ciceronem, quum de privatis iudicibus capitis edicti sententiam attulisset, statim de senatu iudicante edicti non sententiam, sed ipsa verba subiecisse; id enim ostendit *iudicarit*, pro quo ante dixit *iudicasset*. De cæteris nihil definire audeo, vitium notasse contentus. Neque plura nunc de Verrinis dicam, sed ad ea, quæ supra disputavi, confirmanda pauca quædam hic ad extremum ex alia Ciceronis oratione comprehendam. Dixi enim multis locis in Ciceronis orationibus intrusa esse ab librariis ad-

ditamenta ad sensum explicandum aut ad orationem, ut putabant, complendam. Ea non in omnibus orationibus æque adparent; in aliis orationibus extrema mediæ ætatis parte frequenter lectis et descriptis infinitæ et magnam partem apertæ glossæ sunt; in aliis singularis quædam nonnullorum codicum aut unius codicis præstantia cæterorum menda et perspiciendi et tollendi facultatem præbet; sed aliæ sunt orationes, in quibus nec ita multa huiusmodi additamenta sunt, ut per se statim suspicionem excitent, nec ulli ita ante cæteros integritate excellentes codices collati, ut horum auctoritatem ducem sequi ubique possimus; et tamen in his ipsis partim nonnulla deprehendere possumus, quæ in aliquo codice olim addita in alios pervenerint et in editiones, nec tamen in omnes codices pervaserint, partim his vestigiis inducti, alia arguere, quæ in codicibus, qui quidem collati sunt, esse videntur omnibus. Huius rei exempla ponam ex oratione, cuius codicum nullæ certæ familiæ nec magna inter se diversitas esse videtur, pro Cluentio; cuius qui codex cæteros magno intervallo superat, palimpsestus Taurinensis, eius exiguæ quædam partes supersunt. Ut a perspicuo exemplo initium capiam, cap. huius orationis 31, 86 hæc leguntur: *Qui enim poterat tum in gratiam redire cum Oppianico Cluentius, qui cum matre habebat simultates?* Satis profecto mire cum Oppianico Cluentium in gratiam redire non potuisse dicit propter simultates non cum Oppianico, sed cum matre; tum ipsa simultatum commemoratio

parum gravis est; simultates enim componi possunt, nec, nisi simultates fuissent, in gratiam redire opus fuisset; certe inimicitias gravissimas appellasset; dicendum erat, eo iam progressas inimicitias et ea ab utraque parte acta esse, ut neque tuto neque honeste gratia conciliari posset. Et dicit hoc Cicero et quo in loco res fuerit, describit: *Hærebat in tabulis* &c. Quis non videt, hic denique commemorari causas, quæ gratiæ conciliationis suspicionem penitus tollerent? Itaque superiora illa ne dici quidem ita potuerunt. His tam firmis argumentis quum codd. accedant, quorum multi *habebat simultates* omittunt, dubitari prorsus posse non videtur, quin hos sequentes et Garatonii iudicium edere debeamus: *qui cum matre?* Cum enim Oppianicus ab uxore impelleretur, cum utroque simul in gratiam redeundum erat. Causa interpolandi fuit repetitio particulæ interrogandi non intellecta. Non ita multo post 32, 87 scribitur *non modo, quanta fuerit, sed etiam ad quam rem data fuerit, ostendat;* non est dubium, quin hic membra inter se cum lepore quodam relata æqualia esse Cicero voluerit et quam brevissima, ut ipsæ aures statim vim eorum sentirent; hoc animadverso, adparet e codd. cum Garatonio scribendum esse: *non modo, quanta fuerit, sed etiam, ad quam rem fuerit, ostendat.*

Aliud non magni momenti additamentum, sed tamen non abhorrens a librariorum more, est c. 22, 59, ubi hæc scripta sunt: *accusatus est apud eos, qui et Scamandrum, ministrum Oppianici, et Fa-*

bricium, conscium maleficii, condemnarant. Nihil est hic per se vitiosi; et tamen quum videam, prius *et* a quinque, alterum a sex, id est ab omnibus, codd. Oxx. abesse, satis intelligo, utramque particulam iis deberi, qui asyndeton non tulerint, quum tamen multo gravior fiat oratio non præiudicia coniungens, sed in utroque eorum[s]) insistens: *qui Scamandrum, ministrum Oppianici, Fabricium, conscium maleficii, condemnarant.* Omnino huius particulæ non recte additæ permulta exempla sunt, ex quibus unum ponam ex orat. pro Cæl. 17, 41 ubi hæc exstant: *Multa enim nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniveret: et interdum multas vias adolescentiæ lubricas ostendit, quibus illa insistere, aut ingredi sine casu aliquo ac prolapsione vix posset, et multarum rerum iucundissimarum varietatem dedit, qua non modo hæc ætas, sed etiam iam corroborata caperetur.* Intellexit Garatonius, inepte dici, *interdum* multas lubricas vias adolescentiæ naturam dedisse. Post *posset* omittitur *et* a Lambino, tum in cod. uno Oxon. et in Erfurt. Ipsà vocis *multus* repetitio declarat, a Cicerone scriptum esse: *Multa enim nobis — conniveret interdum; multas vias*

---

[s]) Dico *in utroque eorum;* dicerem *in unoquoque eorum,* si id Latine de duobus poni posset; scio, quid scriptum sit ad Cic. de Fin. IV, 1, 2 et 7, 16; sed pæne incredibilis error in iis, quæ ibi traduntur, versatur.

— *vix posset; multarum rerum* &c. Sed foedissimum in orat. Cluentiana interpolationis exemplum exstat c. 27, 73, ubi hæc leguntur: *Canutio — placuit repente pronuntiari. Iudices dixerunt se id velle.* Sed sana hæc non esse, quum ipsa res arguit, (quis enim unquam audivit, non prætorem iudicemve quæstionis, sed ipsos iudices, quo modo et quando ad sententiam ferendam ire vellent, constituisse et dixisse?) tum verba; (neque enim iudices *dicunt, se velle;*) planissime vero codices; longe enim plurimi ac prope omnes *iudices* et *id se velle* omittunt. Itaque accedere sane non possum Orellio, viro prudentissimo, qui vocem *iudices* uncis includit, reliqua retinet, tum *dixerunt* plane violenter in *dixit* mutat, eamque efficit sententiam, quæ minime apta est; satis enim profecto erat dicere *placuit repente pronuntiari;* Canutium id, quod illi placeret, se velle dixisse, non erat verendum, ne obscurum videretur. Omnino, quum, omissis illis verbis, quæ nulla fere codicum auctoritate defenduntur, relinquatur brevis et apta moris librariis ignoti significatio, ut facile appareat, eos, quum, qui dixissent, quidve dixissent, non intelligerent, perversa coniectura ista addidisse, quæ potest de emendandi ratione esse dubitatio? Sed quod idem vir clarissimus, contra Garatonii sententiam, qui verum senserat, dein autem deseruit, disputans, si illa omittantur, *dixerunt* ita ad Canutium accusatorem et Quintium defensorem pertinere putat, ut narrantis sit, eos causam egisse, quid opus erat, id Ciceronem narrare? aut quid id ad ea, quæ

præcedunt, pertinebat, aut quo modo cum iis, quæ sequuntur, hæc sententia congruit, ubi exponitur, quo animo fuerit Oppianicus, quum id consilium Canutius cepisset? Et profecto, si duæ orationes intercesserunt, satis temporis Staieno dabatur, ut adveniret; si ante habitæ orationes sunt, quid ineptius, quam eas hoc loco commemorari? Sed omnino non animadvertunt interpretes, aliud esse, *illico, statim* pronuntiari, aliud *repente;* in lege esse non poterat, ut iudices *repente*, id est, subito et opinione citius, pronuntiarent; Canutio placuit, ut adversariorum consilia excluderet, quum tractum iri iudicium putarent, id repente terminare. Certissimum igitur est, scripsisse Ciceronem: *placuit repente pronuntiari: Dixerunt.* Ita iudices in consilium ibant. Locupletiores, quam qui laudari solet, Asconius Verrinus, testes huius moris sunt Cicero in Verr. II, 30, 75, et Quintilianus 1, 5, 43 coll. VI, 4, 7.

Ex his locis satis intellectum esse puto, versatam esse in hac quoque oratione pravam interpretantium et addentium sedulitatem, cuius si duobus aliis in locis, ubi ex codicibus nihil adfertur, vestigia me deprehendisse dixero, non, opinor, id temerarium peritis videbitur. Et de priore loco iam alii in similem suspicionem inciderunt, veritatem ipsam non viderunt. C. 6, 18 editur: *Hoc enim ipsum iudicium, hoc periculum, illa accusatio, omnis testium copia, quæ futura est, a matre initio est adornata* &c. Ita Ciceronem scribere non potuisse, iam Lambinus vidit, qui prava notando non minus sæpe, quam recta restituendo, Ciceronis

scriptis profuit; velut hic edidit *hæc accusatio*; quod si Ciceronis esset, non profecto in *illa* mutatum esset; sed tamen ita Ciceroni, accusationem adiecto pronomine nominanti, scribendum erat, non minus quam *hoc periculum* et *hoc iudicium*; eaque de causa improbandum est id quoque, quod Orellius proposuit, *ista acusatio*. Sed omnino accusationis nomen ineptum est, quum ea partim iudicii nomine contineatur, partim periculi voce significata sit, ut proprium nomen illi significationi superponi recte non possit; contra ad voces *omnis testium copia* pronomen adesse debebat id ipsum, quod hic est; ea enim futura erat, iudicium iam exercebatur; apertum est igitur, *accusationis* nomen additum esse ad periculi commemorationem explicandam, quo eiecto scribendum est: *hoc periculum, illa omnis testium copia* &c. Non pauca huius generis additamenta in Ciceronis orationibus sunt, quibus ea, quæ Cicero aut uno verbo aut pluribus significavit, non nominavit, proprie appellantur, quæ partim codicum auxilio tolli possunt, partim rationum vi, si non tolli, tamen ita notari, ut neminem fallant. Ut exemplo utar, pro Murena 2, 3 hæc sententia posita est: *Quod si in iis rebus repetendis, quæ mancipi sunt, is periculum iudicii præstare debet, qui se nexu obligavit, profecto etiam rectius in iudicio consulis designati, is potissimum consul, qui consulem declaravit, auctor beneficii populi Romani defensorque periculi esse debebit.* Primum ipsa repetitio nominis consularis ingrata est; sed gravius est et non ferendum, quod

in hac comparatione æqualitas perturbata est et argumentandi ratio; in priore enim parte is, qui periculum præstare debet, non nominatur, sed describitur ita, ut adpareat, id eum facere debere; in altera parte appellatur (*is potissimum consul*), quum hic etiam universe ponendum esset: *is potissimum, qui consulem declaravit.* Ita tacite hæc ratio concluditur, eum consulem esse; itaque consulem hanc causam defendere debere. Ut nunc est, vis nulla est sententiæ. Ad hanc rationem confirmandam accedit, quod, quum *is potissimum consul* dicitur, non id significatur, consulem præter ceteros defendere debere, sed *hunc* consulem præter cæteros consules, vel, quum id dici nequeat, præter alterum, quod ineptissimum est; neque enim quæritur, num hic consul, sed num consul ambitus reum defendere debeat. Itaque mihi quidem dubium non est, quin Cicero scripserit *is potissimum, qui consulem declaravit*, alius autem hac circumlocutione consulem significari adnotarit.

Venio ad alterum Cluentianæ locum 26, 72, qui ita scribitur: *queritur se ab Oppianico destitutum; et, qui esset totus ex fraude et mendacio factus, quique ea vitia, quæ a natura habebat, etiam studio atque artificio quodam malitiæ condivisset, pulchre asseverat se ab Oppianico destitutum* &c. Hæc clausulæ eiusdem ne una quidem litera variatæ repetitio vehementer a Ciceronis more abhorret, qui tum demum hac figura utitur, quum in ipsis verbis, quæ repetuntur, aliquid singulare aut ridiculum est, quod ita magis sentiri

possit. Deinde ita describit Staieni personam, ut eum ad simulandum aptissimum fuisse ostendat; iam non ipsa res a Staieno ficta repetenda erat, sed, quum, quid simulasset, ante dictum esset, eum in hac simulatione facile cæteros fefellisse, dicendum erat; id autem ipsum aptissime dicitur eiecta illa clausula; *queritur se ab Oppianico destitutum, et, qui condivisset, pulchre asseverat, atque hoc addit testimonii* &c. *Asseverare* apud Ciceronem sæpe absolute ponitur, ut sit, ita loqui, ut serio et ex animi sententia loqui videaris, graviter et ad persuadendum apte adfirmare; librarii adseverandi verbo id, quod adseveraretur, addi volebant. Paulo ante lusus Ciceronis in Bulbi nomine corruptus est; nunc enim ipse Bulbus degustasse aliquid dicitur; ut nihil dicam de pronominibus *is* et *eius*, ex quibus hoc posterius perquam incommode ad Staienum refertur. Bulbo Gutta adspergitur. *Itaque minime amarus iis visus est, qui aliquid ex eius sermone speculæ* DEGUSTARANT. Apparet iam urbanitas.

Consecutum me esse puto, quod volebam, ut ex hac oratione intelligeretur, quale fere esset hoc mendorum genus, quod per omnes orationes fusum dixi, et quid in his mendis tollendis sequendum esset. Non possum autem hunc locum relinquere antequam ostendero plane ab huius generis similitudine abhorrere et summa iniuria exclusam esse vocem aliquam in huius orationis c. 65, 183, ubi edunt: *An hoc dicitis, (mihi enim venit in mentem, quid dici possit, tametsi adhuc non esset di-*

ctum,) *quum haberetur de furto quæstio, Stratonem aliquid de veneno esse confessum?* perversa oratione, sententia nulla. Nam ut is efficeretur sensus, quem Orellius esse vult, debebat sane esse *veniret,* nec ullum alterius istius coniunctionis exemplum afferri poterit; repugnat enim natura orationis; deinde autem, si dixit id Sassia, ut affirmat vir clarissimus, cur interrogat Cicero: *An hoc dicitis?* aut quo spectat ipsa parenthesis: quid enim opus est, in mentem venire, quid dici possit, quum dictum id sit? aut cur non ad hæc, quæ dicta sunt, totam disputationem confert? Apertum est, nondum hoc a Sassia dictum fuisse, Ciceronem autem callide ita occupare, ut, si postea id dixerit, videatur a Cicerone admonita verosimili mendacio uti. Hæc quum ita sint, eo magis commovere nos debet, quod post *dictum* omnes fere codices (ut omnes sex Oxon.) addunt *mementote,* quod vocabulum quod a librariis esse putant, neque quid interpretati illi sint, aut quo sensu id additum intellexerint, dicunt, neque unde hic iudices secunda persona verbi appellare librariis in mentem venerit. Vera huius loci lectio restitui potest ex cod. Oxon. C., in quo pro *esset* scriptum est *esse,* quod in aliis quoque non paucis fuisse non dubito. Scripsit igitur Cicero: *An hoc dicitis, (mihi enim venit in mentem, quid dici possit, tametsi adhuc non esse dictum, mementote), quum haberetur de furto quæstio* &c. Subito orationem ad iudices avertit, ut alibi sæpe facit.

Restabat, si ad alias orationes hæc quæstio transferretur, infinita dubitandi et disserendi materia; sed satis licenter evagata oratio nostra est, quæ, quum ab Asconio et Verrinis orationibus esset profecta, huc nos detulit; cui aliquando finis imponendus est, ne non tam prætermissa explere, quam novam disputationem exordiri voluisse videamur. Sæpe enim ad huiusmodi quæstiones redeundi occasio erit.

Corrigenda et Addenda.

Quod veritus eram, ne in ea festinatione, qua disputatio de Asconianis necessario typis describenda erat, nonnulla partim me fugerent, partim a typothetis depravata non corrigerentur, id quum evenisse videam, hic et omissa addere et errores emendare, qui quidem animadversione digni visi sunt, constitui; leviores typorum perturbationes ipsi lectores et facile corrigent nec mihi propter eam rem irascentur.

P. 9 v. 18 legendum est: *centum*

11 v. 2 ab inf. l. *commentarios*

16 v. 21 l. *nobis*

17 not. v. 14 post *Patavinis* adde: in Grævii et Burmanni Thes. Antiquit. Ital. VI, 3, p. 50, qui inscriptionem in agro Patavino repertam affert, in qua Asconii alicuius Gabinii Modesti nomen est.

18 v. 7 l. *quemquam*

19 v. 4 l. *ostendat;*

21 v. 16 l. *omnino*

23 v. 4 l. *viris*

24 not. v. 19 inter libros, quibus uti non potui, commemorandus erat Anglicus hac inscriptione: W. Shepherd life of Poggio Bracciolini. Epistola Poggii paulo post commemorata in Fabricii bibliothecæ edit. Ernest. errore typothetæ relata est ad a. 1419.

27 not. v. 8 l. *apographo*

– v. 12 l. *ut nec*

33 not. v. 25 l. *Maitt.*

34 v. 20 l. *quædam,*

35 v. 22 post *sunt* add.: Sane e codice ductum esse videtur, quod in his omnibus editionibus in extrema parte

Cornelianæ (p. 106 H. p. 970 Gr.) ante Ciceronis verba *qui non modo* &c. insertum legitur: *Dicit de nobilibus*; nam id in editione prima non est.

38 not. v. ext. l. *filius*. Sed totam hanc Livianam emendationem præcepit J. T. Kreyssig, ut postea ex edit. Baumgarten Crusii, nuper autem ex ipsius Kreyssigii, typis Tauchnitzii descripta, vidi.

39 v. 22 l. *potest;*

– v. extr. l. *Maittair.*

44 v. 1 l. *quam, ut*

47 v. 11 l. *cod.*

49 v. 18 l. *Fabii*

51 v. 13 l. *id est*

52 v. 17 l. *eum decrevisset*

53 v. 10 l. *Hack* (et sic deinceps.)

61 v. 22 add.: Alterum vestigium est paulo ante p. 115 H. (524 Or.) *quo loco dicit Catilinam caput M. Marii gestasse.*

67 not. v. 29 errore nescio quo scripsi *anno proximo additos*, quum vellem *paullo post* (eodem anno).

69 v. 16 post *dicebat* add. Nec recte ab Asconio dissentit Ernestius in interpretatione nominis *quadrigarii*, quo a Cicerone Antonius appellatur; (vid. clav. Cic. v. *Quadrigarius* et ad Suet. Ner. 16). Cicero ad res ab Antonio gestas opprobria accommodavit; ea, quam Ernestius sequitur, rapinarum significatio est in *prædonis* nomine; nec leve erat convicium, illo quidem tempore, senatorium hominem in circo quadrigas agitasse. In obliquo obscuræ significationis convicio nulla vis erat, quum prædonem et gladiatorem appellasset.

70 v. 7 l. *illam*

80 v. 22 *ipsi* delendum est.

87 not. v. 5 ab inf. l. *Gaii*

89 v. 20 l. *Sestertium*

95 v. 19 l. *aliud*

101 v. 24 post *dicit* add.: Si vera est vulgata lectio, recte Grævius *bona* ipsius redemtoris fortunas intelligit.

107 not. v. 11 l. *scripsisset;*

– v. 17 l. *sit,*

131 v. 3 ab inf. l. *quæstiones*

137 not. v. 19 post *abutitur* add.: Phædri locum Fab. IV, 20, 1. Bothe recte emendasse videtur; (*quo iudicare cogitet livor modo*).

138 v. 15 l. *describendo*

139 not. v. 18 l. *triumphavit*

148 not. v. 27. Potest tamen *superiectum est* de hyperbole intelligi, quo modo alibi dicitur.

150 not. v. 14 post *Maii librum* excidit: *aut Schützii editionem.* Sed nescio quo errore oblitus eram, scholia ad orationem in Clod. et Cur. apud Beierum legi, qui scribendum esse *in iudicio citata est* ante me vidit.

152 v. extr. add.: Exemplo esse possunt, quæ adnotata sunt de hemistichio Ennii p. 452 ed. Græv. (ad Lib. 1 in Verr. 18) et de fornice Fabiano p. 359 (ad Act. 1, 7.) Hic locus cum alterius interpretis adnotatione collatus aperte ostendit, utriusque commentarii scriptorem ex antiquo aliquo libro sua sumpsisse.

Append. p. 16 v. 2. *Utpote* scribendum esse, vidit Drakenb. ad Liv. III, 63, 7.

Ibd. p. 22 v. 7 sq. Ex Hauboldi epicrisi Heineccii Antiqq. p. 928 video, id, quod a me propositum est, A. Augustinum coniecisse.

Index
Rerum et Verborum.

(Litera A. appendicem significat.)

Index locorum emendatorum, vindicatorum, explicatorum [1]).

1) Fragmentorum oratt. Cic. apud Ascon. et in comm. Ambros. servatorum emendd. et interpretationes notatæ sunt literis *fr.*